BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
52
C
14
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
C
44
NAPOLI

CONSTITVTIONES IN SYNODIS DIOECESANIS

Ab Eminentiſs. & Reuerendiſs. Domino

DOMINO ASCANIO

S.R.E. CARDINALI PHILAMARINO,
Archiepiſcopo Neapolitano celebratis,

Ab anno 1642. vſque ad annum 1662. & nuper in vnum ſe collectæ editæ. & publicatæ.



Romæ, Ex Typographia Reuer. Cam. Apoſtolicæ M. DC. LXII.

VA1 1528473

In Synodo Diœceſana habita Neapol. die decimanona menſis Auguſti Anno 1642.

Primum Decretum.

APocæ directæ Bancis continentes quantitatem ducatorum viginti, vel infra, habeant executionem paratam contra perſonas Eccleſiaſticas, iuxta Conſtitutionem Synodalem alias editam, ſed pro alijs Apocis prædictam quantitatem excedentibus procedatur ordinariè, prout de iure, taliter prædictam Conſtitutionem innouantes, & moderantes.

Secundum Decretum.

LAici, qui ſeptimum ætatis annum excedunt habitum Religioſorum, cuiuſcunque Ordinis non deferant, nec etiam prætextu deuotionis, vel voti ſub pœna amiſſionis illius, alijſque noſtro arbitrio.

Tertium Decretum.

PArochi ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis caueant aſſiſtere, matrimonijs Domi contrahendis abſque noſtra expreſſa licentia, ſeu nuptijs benedicere ſponſis ſub baldachino exiſtentibus.

Quartum Decretum.

MOniales ſpiritualem cognationem contrahere non audeāt, nec mandatum procurationis ad teneudum aliquem in Baptiſmate, vel ſacra Confirmatione faciant, alioquin ipſo facto excommunicationem incurrant, & Parochus huiuſmodi mandatum procurationis admittens, ducatorū centum pęna mulctetur.

Quintum Decretum.

NEmo præſumat abſque noſtra expreſſa licentia defunctorum Cadauera quadrigis vehere ad Eccleſias ſub pęna excommunicationis, eaque de facto delata Eccleſiarum Præfecti, etiam exempti non ſuſcipiant, nec ſepelliant nobis inconſultis ſub pęna Interdicti Eccleſiæ: Nec funeralia peragantur abſque interuentu proprij Parochi (præterquam eo caſu, quo accedit capitulum noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ) Presbyteri verò, qui ea peregerint abſque illo pęnam ducatorum centum incurrant.

Sextum Decretum.

HEbdomadarij, vel Confratres Clerici cuiuſcunque Eccleſiæ Nobis ſubiectæ alios in ſui locum ſubſtituere non valeant, niſi ex diſpenſatione Apoſtolica ſub pęna ſuſpenſionis à diuinis, & quamuis alij pro eis de facto aſſiſtant tanquam abſentes de di-

ſtributionibus non participent. Cellararij verò pro adiunctis in funeralibus non admittant,niſi Clericos in ſacris , vel ſaltem in minoribus notoriè conſtitutos ſub pena ſuſpenſionis à diuinis per menſem,& ducatorum decem.

Septimum Decretum.

CEllararij Eccleſiarum , & Collegiorum quorumcunque per Annum tantum exerceant tale munus,niſi pro minori tempore perdurare ſit conſuetum , quo peracto confirmari non poſſint in eodem Officio , niſi noſtra ſpeciali licentia præcedente, & tunc omnium conſenſus in eis confirmandis requiratur; alioquin confirmatus acceptans penam ducatorum quinquaginta perſolluat,& confirmantes ducatorum centum pena mulctentur.

Octauum Decretum.

LVdum litterarium publicè exercere , ſeu nouiter aperire cuicumque prohibemus, niſi prius fidei profeſſionem legitimè emiſerit,& Quadrageſimum ætatis annum attigerit ſub pena ducatorum viginti quinque alijſque noſtro arbitrio reſeruatis , niſi aliud quoad ætatem nobis videbitur expedire.

Nonum Decretum.

CVm exercentibus hoſpitia venalia, qui mulieres apud ſe retentas hoſpitibus proſtituunt; ac Sponſis , qui ante Matrimonium legitimè contractum ad ſponſas accedunt illas , carnaliter cognoſcendi cauſa,vel eas de facto taliter cognoſcunt,vigore Synodalium conſtitutionum alias annexa , ſit excommunicatio,& abſolutionis reſeruatio ; idque compertum ſit magis conſcientiæ laqueum inijcere,quam medelam afferre: idcirco cenſuram à talibus caſibus adimentes præfatos paterno affectu monemus,vt à prædictis omninò caueant,ne iram Dei in ſe prouocent. Veruntamen,qui in prædictis (quod Deus auertat) inciderit præuia integrali confeſſione à quacumque Confeſſario per Nos approbato , vel approbando abſolui poſſe ſtatuimus taliter prædictam conſtitutionem immutantes.

Decimum Decretum.

COncubinarij,qui ex alia conſtitutione Synodali abſolui non poterant,niſi per quadrimeſtre à concubinis ſeparati extiterint,ne dum quoad thorum, ſed etiam quoad habitationē, & locum,eorum animarum celeri ſaluti cōſulentes,ſi ſic ſeparati permanſerint per duos menſes abſolui poſſe declaramus ; eandem Conſtitutionem quoad reliqua in ſuo robore relinquentes.

Vn-

IVs nuncupatum Paſtor bonus Archiepiſcopo Neapolitano ſingulis Annis in Dominica prima Maij debitum, cum Synodatici, ſeù Cathedratici naturam habeat, eiuſque loco ſubſtitutũ videatur iuxta antiquam, & immemorabilem conſuetudinem à Parochis Ciuitatis, & Diœceſis; necnon à Sacerdotibus, quibus onus celebrationis Miſſarum incumbit, & per ſe ipſos dictum onus perſoluũt, alijſque Sacerdotibus, qui cum Eccleſiæ, vel Cappellæ alicuius ſeruitio adſcripti ſunt in officio Cappellani ordinarij, vel extraordinarij miſſas cum ſtipendio celebrant; iuxta dictam antiquam conſuetudinem Dominica prima Maij prædicta, quæ olim synodus Sancti Ianuarij nuncupabatur à prædictis omnibus ſub pœna dupli, & in ſubſidium ſuſpenſionis ab officio perſolui mandamus: exceptis ijs, qui à Sede Apoſtolica, vel à noſtris Prædeceſſoribus à dicto onere hactenus exempti reperiuntur. Dictum autẽ Ius in futurum locari, vel cõduci, vel tempore conceſſæ licentiæ celebrandi à quoquam exigi poſſe diſtrictè prohibemus. Salua prouiſione facienda quoad eos, qui Eccleſias beneficiales in titulum obtinent, qui de Iure dictum Cathedraticum, ſeù synodaticum ſoluere tenentur.

Aſcanius Cardinalis Philamarinus Archiep. Neap.

Et ſtatim rogauit Synodum, dicens. Placent ne vobis Admod. RR. DD. Canonici, & Capitulum, Abbates, Rectores, Parochi, & tota synodus dicta decreta. Reſponderunt. Placent.

Deinde prædictus Dominus Promotor acceſſit ad Eminentiſſimum Dominum, & inſtitit pro deputatione teſtium synodalium dicens. Eminentiſſime, ac Reuerendiſſime Pater, & Domine. Vetus eſt conſuetudo ſacroſanctis Canonum decretis introducta, vt in synodis Diœceſanis viri aliquot vita, & moribus graues, ac probati diligantur, qui teſtes synodales nuncupantur. Propterea ego Marcellus Angriſanus Canonicus Promotor præſentis synodi humiliter inſto apud Amplitudinem Veſtram Eminentiſſimam pro ipſorum Deputatione. Et Præfatus Eminentiſſimus dixit iam deputauimus, ad quem ſtatim acceſſit prædictus Dominus Secretarius, & ex eius manibus accepit quandam ſchedulam ſigillatam, & clauſam, & ſubitò aſcendit pulpitum prædictum, & pronunciauit, vt infra. Aſcanius Miſeratione Diuina Tituli Sanctæ Mariæ in Ara Celi S. R. E. Presbyter Cardinalis Philamari-

nus Archiepiſcopus Neapolitanus in hac ſynodo Præſidēs.Quoniam ſacri Canones mandant, vt in ſynodis aliqui viri ſpectatæ vitæ deligantur, qui nuncupantur teſtes ſynodales, quorum munus eſt, an aliquid in Ciuitate, & Diœceſi corrigendum, & emendandum ſit inueſtigare, & cognitum ad Nos, noſtrumque Generalem Vicarium referre, vt opportunè prouideri poſſit.Propterea huic officio proponimus eos,quos in hac ſchedula adnotauimus quorum nomina, vt maiori diligentia, & libertate huic muneri vacare poſſint minimè diuulgenda eſſe cenſuimus.In dictà autem ſchedula fuerunt reperti adnotati infraſcripti vz.

Mox prædictus Dominus Promotor acceſſit ad præfatū Eminentiſſimum Dominum, & inſtitit pro vocatione Cleri, dicens. Eminentiſſime,ac Reuerendiſſime Pater,& Domine Sancitum eſt in Concilijs Generalibus, & præcipuè in Concilio Tridentino, vt omnes Eccleſiæ viri, qui de Iure, vel conſuetudine Synodo Diœceſanæ,quæ quotannis celebrabitur,etiam ſi exempti ſint intereſſe debeant; & ſi negligentes fuerint pœnas à ſacris Canonibus præſcriptas,incurrant: Cumque multi non adſint, nec iuſti impedimenti excuſationem,aut nūcium miſerint. Propterea ego Marcellus Angriſanus Canonicus Synodi Promotor inſto eos vocari, & abſentes notari, ac contra ipſos procedi ad pęnas iuxta formam dictorum Canonum. Et Præfatus Eminentiſſimus Dominus dixit.Ita fieri decernimus,& mandamus. Et ſtatim prædictus Dominus Secretarius ex pulpito alta voce dixit: Mox vocabuntur, qui huic ſynodo intereſſe debent, Nominati capite aperto ſtantes reſpondeant. Adſum,& ante Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Archiepiſcopum accedant, reuerentiam exhibeant, & recedant in partem, ab Eccleſia tamen non diſcedant quouſq; ſynodus abſoluta non fuerit, &c. Tunc ego infraſcriptus Notarius ſynodi ex liſta,quam habebam in manibus (infra deſcribenda) vocari feci per Curſorem Clericum Ioannem Baptiſtam Arena omnes Abbates, Rectores, Parochos, Sacriſtas, Presbyteros, Diaconos,Subdiaconos,& Clericos,ac beneficiatos Eccleſiarum, & Cappellarum huius Ciuitatis,& Diœceſis, & præſentes reſponderunt. Adſum: reuerentiam præſtiterunt Eminentiſſimo Domino Cardinali Archiepiſcopo prædicto, & receſſerunt verſus altare maius, & iterum reuerſi ſunt ad locum ſuum,&c. & Abſentes notaui,& per Reu.Fiſcum fuerunt accuſatæ contumaciæ,&c. Finita verò vocatione dicti Cleri Præfatus Eminentiſſimus Dominus mandauit dicto Domino Secretario, vt ex ſuggeſtu legeret

no-

nomine ſuo monitionem poſitam in Pontificali, quæ incipit. Fratres,&c. quam aſcẽdens pulpitum prædictum alta voce legit, qua finita, dictus Dominus Promotor acceſſit ad Eminentiſſimum Dominum,& dixit Eminentiſſime, ac Reuerendiſſime Pater, & Domine. Cum videam omnia, quæ ad Synodi celebrationem ex præſcripto ſacrorum Canonum, & præcipuè ſacri Concilij Tridentini requiruntur, in præſenti Synodo eſſe confecta, ego Marcellus Angriſanus huius Synodi Promotor inſto ſi Eminentiæ Suæ ita placuerit, vt eadem Synodus terminetur, & Clerus omnis ad ſuas Eccleſias dimittatur. Et Præfatus Eminentiſſimus dixit. Finis in præſenti Synodo imponatur. Et ſtatim prædictus Dominus Secretarius ex pulpito dixit. Ad laudem Omnipotentis Dei, Beatiſſimæque ſemper Virginis Mariæ, Sanctorũ Ianuarij, Agnelli,& aliorum Patronorum noſtrorum honorem, decernimus Synodum completam,& propterea cuique eundum eſſe ad proprias Eccleſias. Curate cum redieritis, vt populus omnis vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportaſſe intelligat, &c. mox dictus Dominus Promotor erigens ſe, dixit alta voce. Ego Marcellus Angriſanus V.I.D. Canonicus Neapolitanus huius Synodi Promotor inſto,& rogo Notarium,& Actuarium pręſentis Synodi, vt de ſingulis in hac Synodo geſtis,& peractis, Vnum, vel plura conficiat Inſtrumentum, vel Inſtrumenta. Et ego infraſcriptus Notarius reſpondi: conficiam libenter,&c. Tãdem Præfatus Eminentiſſimus Dominus benedixit Synodo more ſolito dicens, ſit nomen Domini benedictum,&c. & fuit dimiſſa Synodus, dicente Domino Canonico Andręa Lectereſio primo Diacono, alta voce. Procedite in pace,&c.& omnes abierunt,&c.

In Synodo Diœceſana habita Neapol. die Octaua menſis Maij, Anno 1644.

De Sacramento Matrimonij.

Primum Decretum.

NOn deſunt, qui matrimonia de facto clandeſtina ſine legitimis denunciationibus, non ſeruata forma ſac. Conc. Trid. contrahunt,& quod peius eſt etiam Parochis violenter adductis, quibus, & ſi alias Conſtitutionibus Synodalibus noſtrorum prædeceſſorum fuerit iam prouiſum; nihilominus, quia hæc in dies

acci-

accidere videmus. Volentes Nos quātum poſſumus talibus abuſibus prouidere,illiſquè obuiare, inhibemus ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ quoad contrahentes talia matrimonia de facto abſque legitimis denunciationibus; Parochis verò,vel alijs Sacerdotibus de licentia Parochorum talibus matrimonijs aſſiſtentibus præſcribimus pęnam ducatorū centum præter alias pęnas noſtro arbitrio reſeruatas.

Secundum Decretum.

NOn videtur conforme diſpoſitioni Sac.Conc.Trid. qua cauetur Matrimonia debere contrahi in faciem Eccleſiæ; vt contrahantur domi,quemadmodum in noſtra Ciuitate,& Diœceſi inoleuit frequens abuſus,ab omnibus perſonis,nulla habita exceptione perſonarum domi contrahi;ideò ad tol endos præfatos abuſus prohibemus Parochis,vel alijs Sacerdotibus,à quibus debet aſſi ti matrimonijs contrahendis ſub pęna ducatorum centum,alijſque noſtro arbitrio reſeruatis,ne vllo modo aſſiſtat matrimonijs domi contrahendis abſq; noſtra licentia in ſcriptis obtenta.

Tertium Decretum.

CVm ex diſpoſitione Sacri Conc.Trid.Nuptiæ debeant benedici,& ab aliquibus prætendatur ſub prætextu conſuetudinis etiam ſi alter ex coniugibus alias in primo matrimonio contracto receperit benedictionem,cum alio coniuge recipere de nouo poſſe imò, & nonnulli benedictionem in ſecundo matrimonio,etiam ſub baldachino,ſeu pallio recipiunt: Nos ad tollendos præfatos abuſus etiam ex prætenſa conſuetudine mandamus Parochis,vel alijs Sacerdotibus ſub pęna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda,ne vllo modo audeant ſimiles benedictiones dare quando alter ex coniugibus in alio matrimonio contracto receperit benedictionem,nunquam verò ſub pallio, ſeu baldachino ſub pęna ſuſpenſionis à diuinis.

Quartum Decretum.

MVltoties dubitari contingit, in qua Parochia fieri debeant denunciationes matrimoniorum contrahendorum tam viri,quàm mulieris,cumque in noſtra Ciuitate numeroſa animarum facilè eueniat, quod cum quampluries matrimonia abſque denunciationibus; & cum impedimentis dirimentibus malè contrahantur ex mutatione,& variatione habitationum,proptereaq; non poſſit haberi cognitio perſonarum diuerſarum. Vt præfatis abuſibus occurramus; mandamus Parochis ſub pęna ducatorum quin-

quinquaginta, alijſque pœnis noſtro arbitrio, vt non niſi elapſis quatuor menſibus à die habitationis in propria Parochia non faciant publicationes, ſed hæ fieri debeant in Parochia, à qua diſceſſerint, vnica verò tantum fiat in Parochia, in qua degunt coniuges.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Primum Decretum.

SAcramentum Pœnitentiæ à quibuſdam ſub prætextu infirmitatis, vel alterius indiſpoſitionis in domibus adhiberi ſolet, præſertim mulieribus. Quoniam autem cum ingenti noſtrorum peccatorum dolore fieri debet, adhoc vt decenter, ſicuti par eſt, fiat; mandamus, vt in Eccleſijs tantum adminiſtretur, præterquã in caſibus neceſſitatis ſub pæna quoad Sacerdotes ſeculares, & Regulares inhabilitatis ipſo facto ad alias audiendas confeſſiones in futurum. Quo verò ad proprios Parochos ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, neuè vllus poſthac audeat audire confeſſiones tàm virorum, quàm mulierum in domo abſque noſtra licentia in ſcriptis obtenta; exceptis Sacerdotibus, qui tenentur celebrare, vel alia Sacramenta miniſtrare, & ex cauſa integræ confeſſionis illorum tantum poſſit audiri confeſſio, quando aliàs in Eccleſia commodè fieri nequeat.

Secundum Decretum.

ETſi aliàs à nobis quamplures facultates impertitæ fuerint tã Sacerdotibus ſecularibus, quàm Regularibus abſoluendi à cenſuris, & caſibus Nobis reſeruatis ad certum tempus nondum elapſum, vel ad noſtrum beneplacitum, quibus videntur identidẽ fuiſſe abuſos; ideò illas omnes reuocamus, itaut in futurum nullus ex præfatis Sacerdotibus tàm ſecularibus, quàm Regularibus illa poſſit vti. Non tamen intendimus per hanc noſtram reuocationem comprehendi Pænitentiarios in noſtra Metropolitana ad noſtrum beneplacitum deputatos, nec Parochos, quibus fuit conceſſa facultas ad certos caſus, nec alios Confeſſarios in illis tribus caſibus, prout in pagella.

Tertium Decretum.

CVM aliàs decretis Synodalibus noſtrorum Prædeceſſorum fuerit declaratum, concubinariorum caſum eſſe reſeruatũ: declaramus præfatam reſeruationem debere intra bimeſtre, & nõ niſi facta ſeparatione quoad thorum, & cohabitationem, vel matrimonio contracto inter eoſdem concubinarios, quo caſu poſſe abſolui à quibuſcumque Confeſſarijs, ac etiam elapſo bimeſtri à

die ſeparationis quoad thorum, & cohabitationem; niſi tamen fuerint declarati excommunicati in foro exteriori, & tantum niſi habita licentia à noſtro Vicario Generali.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

Decretum Primum.

EXperientia docet, quod hiſce temporibus homines potiùs pęnis grauioribus à delictis committendis arcentur, quàm monitionibus, & alioquin illis obſtari nequeat. Vnde etſi Conſtitutione Synodali noſtrorum Prædeceſſorum fuerit decretum Sacerdotibus, qui duas, vel plures miſſas eadem die celebrauerint, præterquam in caſibus à iure permiſſis, pœnam carcerũ incurrere. Nos volentes delicta ita grauia maioribus pœnis coercere, decreuimus præfatos Sacerdotes incurrere pœnam triremium ad ſeptennium, ita ampliando conſtitutiones noſtrorum Prædeceſſorum.

Secundum decretum.

CVM ex delatione armorum, præſertim prohibitorum, quã plura delicta in noſtra Ciuitate, & Diœceſi oriri proſpeximus; Nos volentes præfatis delictis quantum poſſumus obuiare, prohibemus Sacerdotibus, alijſque Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis ſub pœna triremium ad ſeptennium delationem archibuſciorum paruorum ignobilibus; nobilibus autem relegationis per idem tempus: Quò verò ad retentionem talium armorum ſub pœna ducatorum centum quinquaginta in proprijs domibus, & ita reformandas Conſtitutiones noſtrorum Prædeceſſorum, ſeù ampliandas reſpectiuè ſtatuimus.

Tertium decretum.

QVoniam decreto ſacrorum Rituum prohibetur Sacerdotibus celebrare cum annulis aureis in digitis, ad hoc vt præfatum decretum executioni demandetur, prohibemus ſub pœna ducatorum ſex pro qualibet vice contrauenientibus prędicto decreto, ac etiam Sacriſtis permittentibus Sacerdotes celebrare cũ annulis aureis in digitis; exceptis tamen habentibus vſum Mitræ, & Baculi, vel aliàs ex priuilegio Apoſtolico.

Quartum decretum.

DEcet veſtes benedictas, & ſacras non ad alium vſum deſtinari niſi pro Miſſæ ſacrificio, præſertim albam ſtolam, manipulum, quibus Sacerdotęs vtuntur ad Miſſæ ſacrificium; ideò prohibemus Sacerdotibus, alijſque perſonis Eccleſiaſticis, ne illas accomodent perſonis ſæcularibus ſub pœna ducatorum centum,

alijſq;

alijſq.noſtro arbitrio reſeruatis, ad vſum prophanum pro repræſentationibus,vel choreis; vtentes verò cuiuſuis conditionis exiſtant ad præfatum vſum, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrere decernimus.

Quintum decretum.

INdecens valdè eſt,ſi Sacerdotes,vel in ſacris conſtituti, qui diuino muneri ſunt conſecrati,perſonis ſecularibus obſequium præſtent in functionibus Eccleſiaſticis, ideo cùm ad noſtram notitiam peruenerit, quòd aliqui ipſorum ſuæ dignitatis obliti, induti tunica,dalmatica,vel pluuiali in veſperis,vel Miſſis ſolemnibus incenſent, ſeù thurificent Magiſtros, vel Gubernatores locorum, ſeù Eccleſiarum ſeculares; prohibemus igitur ſub pæna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, ne in futurum id præſtetur,ſed talis thurificatio fiat ab Accolitis, ſeù Clericis.

De Sepulturis.

Primum decretum.

LIcèt aliàs in libello funeralium decreuerimus funeralia intelligi debere duplicia,& ita ſolui, quando non ſolùm Regulares vocantur ad ea, ſed etiam Clerus quamplurium Eccleſiarum Collegiatarum, & non certiorati de antiqua, vel immemorabili conſuetudine, qua Regulares tãtùm vocabantur ad funeralia duplicia,cenſebantur, & ita ſoluebantur. Volentes nos omnem ſuſpicionem auaritiæ à perſonis Eccleſiaſticis tollere, & conformare nos antiquæ conſuetudini, mandamus ſeruari peruetuſtum vſum,quo præſcribitur funeralia duplicia vocari,& ſolui,quando ad illa vocantur Regulares tantùm.

Secundum decretum.

SAepè contingit,altercationes incidere circa iura Parochialia pro funeralibus ſoluenda, quando cadauera non in proprijs Parochijs obeunt; ideò ad tollendas omnes diſceptationes, decernimus quoties non apparet fuiſſe translatum domicilium in totum cum propria domo,& familia habitationis, & quando ex improuiſo aliquis obijt in aliena Parochia,nullis ibi receptis Sacramentis, iura Parochialia deberi propriæ Parochiæ habitationis, vbi fuit facta electio ſepulturæ, cùm electione non facta ſpectent eadem iura ex antiqua, & immemorabili conſuetudine ad noſtrum Capitulum, & Canonicos, aliquibus verò Sacramentis in aliena Parochia receptis, ſeruandam eſſe conſuetudinem circa iura Parochialia ſoluenda.

Tertium Decretum.

NOnnulli ad fraudanda iura Parochialia, quando cadauera ſunt tradenda Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſolent illa aſportare in curribus quadrigis, vel ſedibus abſque interuentu proprij Parochi, & ſine Cruce. Prohibemus igitur ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ quoad deferentes præfata cadauera modis expreſſis. Quoad Eccleſiarum verò Superiores illa admittentes, quoad perſonas Eccleſiaſticas pænam ducatorum centum, aliaſque noſtro arbitrio, &c. ſeculares verò eandem ſententiam excõmunicationis incurrant.

De immunitate Eccleſiæ.

Primum Decretum.

QVoniam in Eccleſijs acclamationes, tumultus, præſertim tempore expoſitionis Sanctiſſimi Sacramenti, prohibentur, tantò magis mutilationes membrorum, & homicidia, quę in dies tempore noſtri Præſulatus occurrerunt; ideò, vt præfatis delictis obuietur, vltra pænas motu proprio fel. record. Pij V. contentas, contra aliquã ex præfatis delictis committentes in Eccleſijs. Decernimus ſententiam excommunicationis latæ ſententiæ nobis reſeruatam incurrere.

Secundum Decretum.

PErſonæ Eccleſiaſticę omni iure ſunt exemptæ à iuriſdictione ſeculari, et ſi igitur cõtra Iudices trahẽtes perſonas Eccleſiaſticas ad forum ſeculare per excommunicationem in Bulla Cœnæ legi ſolitam ſit ſatis prouiſum; tamen quoad partes ſiuè perſonas trahentes ad præfatos Iudices perſonas Eccleſiaſticas eiſdem notas non videtur planè ſancitum: ideò volentes immũnitati Eccleſiaſticæ ſufficienter prouidere, mandamus vt ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ nemo, ſiuè laicus, ſiuè perſona Eccleſiaſtica, perſonas Eccleſiaſticas ad iudicium ſeculare, præterquam in caſibus à iure permiſſis trahat; & ita innouamus Conſtitutiones Synodales noſtrorum prædeceſſorum.

Tertium Decretum.

DEcet, Eccleſias Dei eſſe domos orationis, & ab ipſis riſus, ac vaniloquia penitus arceri, & multò magis cantus inhoneſtos, & repræſentationes; ideò prohibemus in Eccleſijs fieri quocumque modo repræſentationes, ſub pæna interdicti Eccleſiæ.

Quartum Decretum.

OPera inſuper ſpiritualia, etiam in locis adiacentibus prohibemus ſub pœna excommunicationis quoad ſeculares recitan-

rantes,aut Scenarium tenentes, Superiores dictorum locorum, permittentes. Quo verò ad perſonas Eccleſiaſticas carcerum per ſex menſes,& alijs noſtro arbitrio reſeruatis: extra verò dicta loca,niſi reuideantur à perſonis deputandis à Nobis, & nonniſi cũ licentia in ſcriptis à Nobis, vel à Noſtro Vicario Generali recitentur ſub eiſdem pænis.

De præcepto Eccleſiæ.

CVM ex præcepto Eccleſiæ teneantur fideles ſemel in anno in Paſchate communicare, & inoleuerit abuſus, vt in Oratorijs priuatis,aut in Ecclesijs Regularium communicare nonnulli audeant,quibus nulla imminet cura animarum, prætendentes ita præcepto Eccleſiæ ſatisfacere. Volentes tales abuſus tollere, declaramus noſtra præſenti Conſtitutione Synodali nullo modo ſatisfieri præcepto Eccleſiæ, niſi communicando in Eccleſia propria Parochiali à proprio Parocho, vel de eius licentia in eadem Eccleſia Parochiali ab alio Sacerdote deputato per proprium Parochum, vel in noſtra Eccleſia Metropolitana. Prohibemus etiam Parochis ne licentiam contra hanc Conſtitutionem concedant ſub pæna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda, præterquam in caſu neceſſitatis. Declarantes, Sacerdotes celebrantes non comprehendi ſub hac prohibitione.

De Iudiciis.

CVM aliàs in noſtra Synodo Diæceſana decreuimus, apocis Bancorum dari viam executiuam,quatenus tamen ſumma ducatorum viginti non excederet. Quoniam verò experientia comprobauimus emergere identidem hinc quamplures lites, & partes expenſis grauari pro exactione eorum crediti; illam ampliando dicimus,etiam competere viam executiuam,quando nõ excedit ſummam ducatorum quinquaginta: quando verò excedit ſummam ducatorum quinquaginta,debere agi via ordinaria.

De Monialibus,

Primum decretum.

QVoniam in noſtra viſitatione generali Monialium reperimus quamplures Abbatiſſas nullam reddidiſſe rationem, vel computum earum adminiſtrationis, ex quo bona Monaſteriorum facilè dilapidari comperimus: ideo quantum poſſumus, talibus inconuenientibus occurrere intendentes,vt pænis arceantur à mala adminiſtratione,mandamus ſub pæna priuationis vocis actiuæ,& paſſiuæ,& inhabilitatis in perpetuum ad ſimilia officia,vt Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ intra ſex menſes poſt dimiſſum

officium teneantur reddere rationes, vel computum earum adminiſtrationis. Illis verò redditis, ſi appareant debitrices, ſint inhabiles ad eadem officia, niſi reintegrato Monaſterio pro debito completo.

Secundum decretum.

NOn debet amplius Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa, finita adminiſtratione ſe ingerere in exactione bonorum eiuſdem Monaſterij, prout omnia iura clamant, cumque inoleuerit abuſus ſub prætextu crediti præteritæ ſuæ adminiſtrationis, Abbatiſſam, quæ iam abſoluit tempus ſui regiminis ſe ingerere in exactione bonorum Monaſterij; ideò prohibemus omnibus Abbatiſſis, ſeù Prioriſſis ſub pęna priuationis vocis actiuę, & paſſiuæ, ne abſoluto officio amplius ſe ingerant in exactione crediti Monaſterij, & ſimiliter, nec Abbatiſſa pro tempore permittat eaſdem exactiones fieri ſub eiſdem pęnis.

Tertium decretum.

QVampluribus Decretis Sacræ Congregationis Epiſcoporũ, & Regularium fuit decretum mulieres non debere admitti nullius Religionis, vulgo Bizochas nuncupatas, niſi habeant quamplurima requiſita: prout in dictis decretis, eaſque etiam admiſſas, nullo modo permitti ad portandum ſubcannum, quod vulgo vocant, ſeù velamen, quod tantùm Monialibus profeſſis conceditur: & nihilominus per Ciuitatem videntur illud aſportare; Nos volentes talibus abuſibus obuiare, prohibemus ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ nobis reſeruatæ ne deinceps deferant præfatum ſubcannum, ſeù velamen ad inſtar Monialium degentium in Monaſterijs.

De Oratorijs priuatis.

ALias Sacra Congregatione Rituum declarauit non licere celebrari in Oratorijs priuatis in quibuſdam feſtis ſolemnioribus, vʒ. Feſto Natiuitatis Domini, Epiphanię, & Annunciationis B. Mariæ Virg. Paſchæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. V. Sanctiſs. Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum; Quoniam verò ſunt quamplura Oratoria in Ciuitate, & Diœceſi, mandamus etiam in Feſto Circumciſionis, & Aſcenſionis Domini, Corporis Chriſti, S. Ioſeph, & S. Ioannis Baptiſtæ ſub pęna reuocationis licentiæ habitæ, in dictis feſtis in Oratorijs priuatis celebrari nequaquam poſſe.

De

CVm nouiſſima Conſtitutione Vrbani Octaui innouetur Decreta Sacri Concilij Tridentini, quibus cauetur, ne quis teneat,aut publicè exponat Sacras imagines alijs veſtibus,& forma indutas, quàm Catholica Eccleſia antiquitus conſueuit, neque eas veſtiant habitu peculiari alicuius Religionis regularis; præteà ne profanæ picturæ,aut ſculpturæ in Eccleſijs, earumque frõtiſpicijs,vel atrijs exponantur; Nos vt prædicta decreta executioni demandentur, mandamus, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati,& præcipimus omnibus,& ſingulis perſonis,cuiuſq; gradus,& conditionis exiſtant, tam ſecularibus, quàm Regularibus vtriuſque ſexus quomodolibet exemptis etiam Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis,Decreta iam dicta, & motus proprios Vrbani Octaui inuiolabiliter obſeruari ſub pęna excommunicationis, alijſque noſtro arbitrio reſeruatis.

De Libris imprimendis.

Primum Decretum.

ET ſi Conſtitutionibus noſtrorum prædeceſſorum alias erat cautum non debere libros imprimi, niſi prius reuideantur à Nobis,vel à noſtro Vicario Generali deputatis;cum ex illorum impreſſione abſque reuiſione quamplura damna Eccleſiæ inferri conſueuerint. Ideò volentes talibus damnis, quoad fieri poteſt obſiſtere mandamus ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ,ne vllus audeat imprimere libros, niſi prius reuideantur de noſtro,vel Vicarij Generalis ordine,& regiſtrentur prius à noſtro Theologo.

Secundum decretum.

EXperientia probauimus quamplures libros eſſe introductos in noſtra Ciuitate, qui non ſolùm continent errores contra bonos mores, ſed etiam contra fidem Catholicam, & eſſe prohibitos in prima,vel ſecunda claſſe,&c. & volentes Nos quantum poſſumus præfatis delictis obuiare,& remedia neceſſaria, atque opportuna exhibere; mandamus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ, ne vllus audeat cuiuſcunque cõditionis exiſtat conſignare libros introductos in Ciuitate, ſeu illos extrahere extra Ciuitatẽ,niſi prius reuideantur à noſtro Theologo,vel à deputatis:& ſub eadem pęna excommunicationis non liceat Bibliopolis emere bibliothecas,niſi prius conſignata, & reuiſa liſta à noſtro Theologo,vel à Nobis,vel à noſtro VicarioGenerali deputatis, ſeù deputandis.

CVm in noſtra Ciuitate omnes Presbyteri tam de Regno, quam etiam extra Regnum, vt plurimum inquiſiti, ac etiã condemnati ab eorum Ordinarijs de facto in noſtra Ciuitate celebrare præſumant, etiam quod peius eſt, irretiti cenſuris; Volentes talibus abuſibus prouidere, mandamus omnibus Sacriſtis, & alijs Præpoſitis Eccleſiarum ſub pæna ducatorum ſex, vt ne quẽquam Presbyterum admittant ad celebrandum, niſi habeant à Nobis, vel à noſtro Vicario Generali licentiam in ſcriptis obtentam cum literis dimiſſorialibus proprij Ordinarij, illiſq. in actis noſtræ Curiæ recognitis: Presbyteros exteros celebrantes vltra pænam ſuſpenſionis à diuinis, pænam carceris formalis per ſex menſes, & duplicationis ſolutionis Paſtor bonus, &c. aliaſq. noſtro arbitrio incurrere decernimus. Innouantes in hoc Conſtitutiones Synodales noſtrorum prædeceſſorum, &c.

Et ſtatim rogauit Synodum dicens. Placent ne vobis Admod. RR. Domini Canonici, & Capitulum, Abbates, Rectores, Parochi, & tota Synodus dicta decreta, & reſponderunt. Placent.

In Synodo Diœceſana habita Neapoli die 4 menſis Maij anno 1646.

De Immunitate Eccleſiæ.

Primum Decretum.

CVM aliàs ex noſtris Conſtitutionibus Synodalibus fuerit prouiſum contra eos, qui immemores propriæ ſalutis non verentur locis ſacris reuerentiam denegare, imò & homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesijs, & Cœmeteriis delicta audent tàm grauia perpetrare, excommunicationem ipſo facto incurrere decernimus, non tantum prædictos delinquentes, vt iã dictum eſt, ſed etiam in eandem incidere eos, qui præfata delicta committunt in locis adiacentibus Eccleſiæ, & immunibus.

De Cultu Eccleſiaſtico.

Secundum Decretum.

QVanta ſit exhibenda reuerentia Sanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ omnibus plane fidelibus notum eſt, non tamen ob id deſunt, qui cum noſtra licentia ex cauſa legitima à Nobis approbata illud exponunt; facere autem hoc audent ante Solis ortum, & poſt eius occaſum reponunt. Quapropter ad noſtras au-

res peruenit in hiſce temporibus quamplura grauia committi facinora maximo populi ſcãdalo! Ideò Nos ad hos exceſſus,quo par eſt corrigendos,Sacerdotes,qui præſunt Eccleſijs ducatorum centum,aliiſque noſtro arbitrio pænis reſeruatis ſubiicimus, Regulares,& Adminiſtratores ſecularium Eccleſiarum, ſicut & Eccleſias Regularium Interdicto ſubiicimus, non ſecus, ac iis, qui exponunt ante Solis ortum Sanctiſſimum Sacramentum, & non ſubducunt ante Solis occaſum, eandem pænam infligimus.

Tertium Decretum.

ETſi aliàs à noſtris Prædeceſſoribus fuerit prohibitum in diuinis Officiis,& Miſſarum celebrationibus, aliiſq. ſacris actionibus in Eccleſiis faciendis immiſcendos non eſſe cantus inhoneſtos,& impuros ſonos,necnon elogia,odas,ſeù cuiuſuis generis carmina quantumuis pia in Miſſali Romano,Breuiario, & Rituali,ac Pontificali non contenta,prçcipuè contra decreta Sacri Cõcilii Tridentini, quodque peius eſt etiam Orationis quadraginta horarum tempore ,expoſitionumque Sanctiſſimi Sacramenti ſæpenumero ludi craſtina decantantur, illas igitur ſanctiones renouantes,quatenus opus ſit quoad Cantores, & Muſicos pænam excommunicationis ipſo facto incurri volumus;quoad Eccleſias pænam interdictæ Eccleſiæ.

Quartum Decretum.

NON deſunt Sacerdotes, qui immemores conſtitutionum à noſtris Prædeceſſoribus editarum poſt repoſitionem ſanctiſſimi Sacramenti in feria quinta Cænæ Domini,Claues Sanctiſſimi tradunt Adminiſtratoribus laicis Eccleſiarum contra Ceremoniale Romanum:Nos illas igitur confirmantes,ſtatuimus,in poſterum claues prædictas ſtatim poſt dictam repoſitionem Sacerdoti in craſtinum celebraturo,vel Sacriſtæ Eccleſiæ,qui ſit in ordine Sacerdotis conſtituto tradendas,& in Monaſterijs Monialium idem ſeruandum eſſe,nec Abbatiſſæ, vel Sacriſtanis dictorũ Monaſteriorum claues prædictas tradi poſſe;Secus verò facientes tàm Sacerdotes , quàm Laicos Adminiſtratores Eccleſiarum, & Abbatiſſam, & Sacriſtanas in ſententiam excommunicationis ipſo facto incidere , Eccleſias verò Eccleſiaſtico Interdicto ſubijci mandamus.

De Matrimonio ritè contrahendo.

Quintum, & ſextum decretum.

QVandoque Parochi admittunt ſponſos ad matrimonia contrahenda etiam elapſo bimeſtri poſt publicationes, non ob-

ſtan-

ſtantibus Conſtitutionibus Synodalibus noſtrorum Prædeceſſorum, quas renouantes, adijcimus pænam ducatorum centum, aliaſque noſtro arbitrio, &c. contra eoſdem Parochos, vel alios Sacerdotes, quibus cura animarum incumbit, admittentes ſponſos ad præfata matrimonia contrahēda, elapſo bimeſtri poſt publicationes, niſi ex cauſa fuerit diſpenſatum.

De Sepulturis.

Septimum decretum.

LIcet aliàs à noſtrorum prædeceſſorum Conſtitutionibus Synodalibus ſancitum ſit Eccleſiarum pauimenta non debere rumpi ad effectum cadauera ſepeliendi exceptis ex ſepulturis; Igitur quia decreta tam rationabilia videntur in deſuetudinem abijſſe, illa renouantes mandamus ſub pæna ducatorum centum alijſq. &c. perſonis Eccleſiaſticis, ne vllo modo permittant pauimenta intercidi abſque noſtra licentia; Adminiſtratoribus verò laicis quoad eorumdem Eccleſias pœnam interdicti comminamus.

De adminiſtratione Sacramentorum.

Octauum Decretum.

AD tollendas altercationes, ac ſcandala, quæ oriri ſolent inter Parochos noſtræ Diœceſis, & Sacerdotes, in Eccleſijs, vel Oratorijs Confraternitatum quoad tempus celebrationis Miſſarum. Præcipimus vt duabus horis poſt ortum Solis Parochi celebrare debeant, vt populus ad auſcultationem miſſæ accedere valeat, nulluſque Sacerdos ante celebrare poſſit, niſi de conſenſu Parochi. Exceptis temporibus meſſis, & vindemiæ ſub pæna centum librarum ceræ, alijſq. &c.

Nonum Decretum.

SAcramenta non ſolùm à Parochis, ſed etiam ab alijs Sacerdotibus adminiſtranda eſſe gratis, planè omnia iura clamant, quamuis non deſunt Sacerdotes, qui propriæ ſalutis immemores pecuniam propter illorum adminiſtrationem extorquent, idque etſi à noſtris Prædeceſſoribus, quampluribus Conſtitutionibus Synodalibus prohibitum fuerit, adhuc tamen videmus Parochos, eorumque ſubſtitutos, ſeù coadiutores in publicandis matrimonijs non vereri aliquam pecuniam exigere; ideò mandamus ſub pænæ ducatorum centum, alijſque noſtro arbitrio reſeruatis, ne pro publicationibus matrimoniorum nec directè, nec indirectè pecuniam aliquam exigere præſumant. Quò verò ad atteſtationes publicationum matrimoniorum in ſcriptis redigendas, vo-

lu-

lumus ſeruari alias Conſtitutiones ab eiſdem Archiepiſcopis prædeceſſoribus emanatas.

De Monialibus.

Decimum decretum.

CVM aliàs ex Decretis Congregationis Epiſcoporum, & Regularium cautum ſit, in Monaſterijs Monialium aſſignandũ eſſe locum diſtinctum pro educandis, nec poſſe educandas pernoctare in cellis, ſeù domibus Monialium profeſſarum, vel nouitiarum, ſeù aliarum mulierum degentium de licentia Sedis Apoſtolicæ in eiſdem Monaſterijs. Ideò ad obuiandum præfatis exceſſibus, & pro obſeruatione eorumdem decretorum Sacræ Congregationis, vt ſaltem pœnis ſpiritualibus corripiantur, mandamus ne in poſterum ſub pæna excommunicationis vlla Monialis profeſſa, vel nouitia, aut mulier degens in Monaſterio admittat ad pernoctandum, ſeù dormiendum in earumdem cellis, ſeù domibus aliquam ex educandis.

Vndecimum decretum.

CVm ex varijs Conſtitutionibus Summorum Pontificum prouiſum ſit, nemini licere cuiuſuis conditionis exiſtat, ingredi ſepta Monialium, niſi in caſibus neceſſitatis earumdem, vel degentium in Monaſterijs, & tunc niſi cum licẽtia in ſcriptis ab Ordinario loci, & in Monaſterijs exemptis, etiam adhibita licentia earumdem Superiorum reſpectiuè, & Ordinarij loci, non obſtante quacumque conſuetudine immemorabili, alioquin tranſgreſſores, qui ſine licentia ingredi præſumpſerint vt ſupra, pænas, & cẽſuras Eccleſiaſticas Sedi Apoſtolicæ reſeruatas incurrere declaramus.

Duodecimum decretum.

EXperientia docuit Moniales pro Sacriſtanis deputatas in Monaſterijs maximas expenſas erogare, & ſuperfluas, ac neutique neceſſarias pro cultu diuino. Hinc pro noſtro paſtorali officio prohibemus omnibus Monialibus Nobis ſubiectis deputatis pro Sacriſtanis non poſſe expendere ad Sacriſtæ munus exercendum, niſi pecuniam à Monaſterijs aſſignatam ſub pæna excommunicationis, vel ſaltem de conſenſu Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, etiã pecuniam eiſdem debitam pro vitalitio, & multò minus pecuniam de communibus redditibus Monaſterij, & Communitatis.

Tertiumdecimum decretum.

QVoniam à noſtris prædeceſſoribus, etiam in Concilio Prouinciali prohibitum fuit Monialibus comedias, aliaſque

 pias,

pias, vel ſacras exhibitiones repræſentare, nec perſonatum agere, etiam relaxandi animi cauſa, nec vllo vnquam tempore ſecularē, nec virilem, nec laicarum mulierum habitum induere: & quia in illis nulla pœna appoſita videtur, propter quod non demandantur dicta decreta executioni. Propterea Nos vt præfatis exceſſibus prouideatur, confirmantes præfatas ſanctiones pænam adijcimus ſententiæ excommunicationis ipſo facto incurrendæ contra Moniales iſthæc tranſgredientes.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Quartumdecimum decretum.

EX Decreto Sacri Concilij Tridentini cautum eſt Ordinarijs locorum atrociora crimina reſeruanda pro abſolutione, tātoque magis adijciendam pænam excommunicationis ad eadē enormia flagitia coercenda. Cùm igitur à noſtris prædeceſſoribus in Conſtitutionibus Synodalibus ſententia excommunicationis lata ſit contra ſponſos ante contractum matrimonium ſponſas carnaliter cognoſcentes, ac etiam eamdem excommunicationem reſeruatam contrahere ſtatutum ſit caupones adminiſtrantes mulieres in eorum hoſpitijs: Nos eaſdem reuocamus, ac reducimus ad terminos iuris communis.

Quintumdecimum decretum.

CVM, ex decretis ſacri Concilij Tridentini cautum ſit nemінem nec Sacerdotem ſecularem, nec Regularem eſſe habilē, & idoneum ad audiendas confeſſiones perſonarum ſecularium, niſi præuia approbatione ab Ordinarijs locorum, alioquin confeſſiones eſſe nullas, & inualidas. Nihilominus nonnulli Sacerdotes immemores propriæ ſalutis audeant audire cōfeſſiones abſq. approbatione: ideò noſtro paſtorali officio præfatis exceſſibus remedia adhibere cupientes, vt ſaltem pœnis corrigantur, mandamus ſub pæna carceris per biennium quoad Presbyteros ſeculares, alijſq. &c. Quo verò ad Regulares etiam ad pænam cenſurarum procedemus contra tranſgreſſores audientes confeſſiones perſonarum ſecularium abſq. noſtra approbatione.

Decimumſextum decretum.

DEclarantes inſuper omnes gratias à Nobis oretenus conceſſas effectum non ſecutas, eſſe reuocatas, & quatenus opus ſit, illas denuò reuocamus, ac etiam ſtatuimus, quod omnes facultates aliàs à Nobis conceſſæ, vel in futurum concedendæ pro abſolutione à cenſuris, vel à caſibus Nobis reſeruatis non intelligantur conceſſæ facultates abſoluendi à cenſuris incurſis, & incurrendis

rem-

rendis propter allocutionem cum Monialibus de rebus obſce-
nis, vel cum tactibus impudicis, nec diſpenſandi ſuper irregula-
ritate, vel vota commutandi, neque abſoluendi à cenſuris in Bul-
la Cænæ Domini, nec ab infraſcriptis cenſuris extra Bullam, vz.
ingredientes ſepta Monialium ad malum finem, duelliſtæ, per-
cuſſiones graues in perſonas Eccleſiaſticas iuxta cenſuras reſer-
uatas Sedi Apoſtolicæ, Violatores immunitatis Eccleſiæ, ob ex-
tractionem confugientium liberè ad Eccleſias, & alia loca im-
munia; nec abſoluendi à cenſuris occaſione ſimoniæ realis; vel
confidentialis, nec ſubdelegandi facultatem eiſdem conceſſam
à cenſuris, & caſibus Nobis reſeruatis alijs Sacerdotibus, etiam
Regularibus, niſi illis tantum, qui à deputato Pænitentiariorum
noſtræ Eccleſiæ fuerint vocati in eorumdem adiutorium certis
diebus in noſtra Eccleſia Cathedrali tantum, & non aliàs.

De Hebdomadæ ſanctæ abuſibus.

Decimumſeptimum decretum.

QVoniam ex alijs Conſtitutionibus Synodalibus noſtrorum
prædeceſſorum erat iam prouiſum circa abuſum Hebdo-
madæ ſanctæ, & iam non videntur obſeruari conſtitutiones præ-
dictæ, & ideo de nouo mandamus, ne quis habitum pænitentiæ
induat ab Eccleſiaſtica diſciplina alienum ſub pœna excommu-
nicationis ipſo facto incurrenda. Præcipimus etiam talarem tan-
tùm adhiberi veſtem de lino, & communi nullo prorſus ornamē-
to addito, ad ædificationem populorum, vt par eſt compoſito, &
per eos dies valdè congruo.

Decimum octauum decretum.

LIcèt aliàs à noſtris prædeceſſoribus etiam ex Conſtitutione
Synodali fuerit prohibitum ſub pœna interdicti Eccleſiæ, ſeù
Oratorij ipſo facto incurrenda choreas, ſeù ludos puerorum in
proceſſionibus Angelorum, ſeù Sanctorum veſte indutorum, ne
ſacra miſceantur profanis, quod apud Nos inuſitatum eſt, & no-
num; illi verò cenſeantur tantum obligati ad proceſſiones, qui in
edicto, quod ante illas edi ſolet nominabuntur, ideò Nos illas re-
nouamus, eaſque inuiolabiliter ſeruari mandamus.

A. Card. Philamarinus Archiepiſcop. Neap.

In Synodo Diœceſana habita Neapol. die ſeptima menſis Maij Anno 1649.

Primum Decretum.

LIcèt à Nobis aliquoties concedatur facultas Epiſcopis exercendi Pontificalia ad effectum conferendi Ordines in noſtra Ciuitate, vel Diœceſi, & ſeruata forma Pontificalis Romani, nonniſi in Eccleſijs publicis conferri debent; Nihilominus quia ordinandi ſolent recipere præfatos ordines in Eccleſijs Monialium, & in Oratorijs priuatis domorum. Ideò ad tollendos præfatos abuſus, mandamus in poſterum vt facultates à Nobis concedendæ exercendi Pontificalia ad effectum prædictum, intelligatur, dummodo Ordines ſacri nullo modo recipiantur in Eccleſijs Monialium, & in Oratorijs priuatis: Alioquin contrauenientes ſint ſuſpenſi ipſo facto ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum: ſub hac autem prohibitione nolumus comprehendi initiandos prima Tonſura, & quatuor minoribus Ordinibus.

Secundum decretum.

QVoniam ſeruata forma Ritualis Romani, nullus Sacerdos cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, pòteſt celebrare Miſſam, vel alia diuina cum ſedibus, & apparatu ſollemni, & tamen irrepſit abuſus ab aliquibus ita celebrandi, Noſque edicto particulari id expreſsè prohibuimus. Nunc denuò ad tollendas difficultates mandamus, vt nullus Sacerdos, etiam ſi ſint Canonici noſtræ Eccleſiæ Cathedralis, poſſit habere in Eccleſia, ſedes cum apparatu ad effectum celebrandi ſollemniter, vel alia officia diuina peragenda, ſub pœna ducatorum centum pro qualibet vice, alijſque pœnis noſtro arbitrio reſeruatis; exceptis ijs, qui habent vſum Pontificalium, ex priuilegio Apoſtolico.

Tertium decretum.

CVM ex decreto Sacri Concilij Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15. de reformat. cautum ſit, Sacerdotes tàm ſeculares, quàm Regulares non obtinentes Eccleſias Parochiales abſque Ordinarij approbatione, & facultate, non poſſe confeſſiones ſecularium audire, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Huic decreto Sacri Concilij Tridentini inhærendo, ac etiam declarationi Congregationis Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Sacri Concilii Interpretum, manda-

mus

mus ſub pæna carceris formalis arbitrio noſtro, ac etiam excommunicationis quoad Regulares, ex decreto Sacræ Congregationis ſuper negotijs Epiſcoporum, & Regularium vt nullus Sacerdos tàm ſecularis, quàm Regularis audeat abſque noſtra licentia audire confeſſiones ſecularium, & ita innouandas Conſtitutiones Synodales aliàs editas à noſtris prędeceſſoribus, & quatenus opus ſit, de nouo confirmandas decernimus.

Quartum Decretum.

QVia ex diſpoſitione Sacrorum Canonum ſtatutum eſt neminem poſſe baptizari domi, exceptis filijs Regum; tamen cū inoleuerit abuſus in noſtra Ciuitate, & Diœceſi, quod à Parochis, vel ab alijs Sacerdotibus curam animarum habentibus baptizandi domi: Ideò ad tollendos præfatos abuſus, mandamus ſub pœna ducatorum centum locis pijs applicandis, & in ſubſidium ſuſpenſionis à diuinis, vt nullus Parochus, vel Sacerdos audeat domi baptizare, niſi in articulo, aut periculo mortis.

Quintum decretum.

EX Conſtitutionibus noſtrorum Prædeceſſorum ſtatutum eſt, prouiſos de beneficijs, confratantijs nuncupatis debere reſidere in noſtra Ciuitate, vel Diçceſi, ad hoc vt munus eiſdem incumbens poſſint per ſe ipſos adimplere. Igitur ijſdem Conſtitutionibus inherendo ſtatuimus, quod ſi vltra annum abſque noſtra licentia in ſcriptis abfuerint, primùm per edictum citandi, deindè ſi non comparuerint, ijſdem Confratantiis priuandi erunt; Reiectoque abuſu non reſidendi, & per alios inſeruiēdi, innouatis Cōſtitutionibus à prædictis, mandamus etiam Cellerariis, ne partem diſtribuant, vel faciant dictis Confratribus abſentibus, ſub pæna ducatorum ſex locis piis toties, quoties. Exceptis iis, quibus ex priuilegio Apoſtolico conceſſum eſt per alios inſeruire, vel aliàs legitimè impeditis.

Sextum decretum.

ETſi à noſtris Prędeceſſoribus in aliis Synodis Diœceſanis cautum ſit, neminem finito anno Cellariatus poſſe iterum immediatè eligi, ſeu confirmari abſque noſtra in ſcriptis licentia, & ſic ab omnibus Eccleſiis, & Collegiis ſub pænis nullitatis electionis debere obſeruari. Idque volumus omnino ſeruari, etiam in noſtra Cathedrali tàm à RR. Canonicis, quàm ab Hebdomadariis, & Manſionariis eiuſdem ſub iam dictis pænis, & aliis noſtro arbitrio reſeruatis.

Se-

Septimum Decretum.

NVlli Rectori, ſeù Parocho liceat cadauera tradere Eccleſiaſticæ ſepulturæ, niſi in Eccleſia, in qua fuit à defunctis electa ſeruata forma aliarum Conſtitutionum Synodalium à noſtris Prædeceſſoribus emanatarum, ſub pæna centum librarum ceræ in caſu contrauentionis, niſi reuelante Eccleſia electa, & ex aliqua legitima cauſa à noſtra Curia approbāda, talis recuſatio, ſeù oppoſitio admittatur, & tunc nihil præter iura parochialia ab eiſdē exigatur, ſub eiſdem pænis. Vndè præfatas Conſtitutiones innouandas, & quatenus opus ſit, confirmandas decernimus.

Octauum decretum.

DEcreta aliàs edita in præcedentibus Synodis à Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris circa modum ſeruandum in funeribus fidelium aſſociandis, eorumdemque corporibus piè ſepeliendis, præſertim ne id fiat in quadrigis, ſeù curribus, vel ſedibus geſtatorijs, alioque quouis modo non vſitato ab Eccleſia, & abſque interuentu Parochi, ſiuè abſque funeralibus de nouo, quatenus opus ſit, renouamus, & mandamus inuiolabiliter obſeruari, ſub pænis in eiſdem Decretis contentis, aliiſque noſtro arbitrio reſeruatis.

Nonum decretum.

ELeemoſyna, quæ ob funus datur, non in itinere, vel populo ſpectante, ſed in loco ſeparato, & remoto peractis exequiis, iuxta alias Conſtitutiones Synodales à noſtris Prædeceſſoribus emanatas à Cellerario diſtribuatur, quas Conſtitutiones hoc noſtro decreto roboramus, & innouamus: præcipientes ne de diuiſione facienda in itinere aliquo modo diſceptetur, ſub pæna ducatorum ſex, aliiſq. noſtro arbitrio reſeruatis.

Decimum decretum.

INſuper ſub pæna priuationis ab officio, & beneficio prohibemus, ne quis Cōfrater, aut Portionarius, vel Clericus, ſeù Diaconus locet, aut conducat ad quodcumque tempus, etiam breue Fratantias, vel Diaconatus pro ſepeliendis, vel aſſociandis mortuis, vel quod etiam ius ſepulturæ vocant, decernentes huiuſmodi illicitos locationis, & conductionis contractus, nullos, irritos, & inanes eſſe: pecunias propterea ſolutas, & ſoluendas applicandas eſſe in reparationem, vel neceſſitatem Eccleſiæ Parochialis, vel aliàs arbitrio noſtro: innouantes, & confirmantes quatenus opus ſit, Conſtitutiones à noſtris Prædeceſſoribus ſuper his emanatas.

Vn

RECtores, vel Sacriſtæ Eccleſiarum, vel Cappellarum noſtræ Ciuitatis, vel Diæceſis nullo modo admittant Cappellanos ordinarios, vel extraordinarios pro celebratione miſſarum abſq. noſtra licentia in ſcriptis obtenta, ſub pœna librarum centum ceræ laboratæ, & in ſubſidium ſuſpenſionis à diuinis. Idemque intelligatur de Magiſtris, ſeu Gubernatoribus quarumuis Eccleſiarum, vel Cappellarum, ſub pæna interdicti ipſo facto incurrenda quoad eorum Eccleſias, Cappellas, ſeu Oratoria, & ſic Conſtitutiones Synodales noſtrorum Prædeceſſorum renouantes obſeruari mandamus.

Duodecimum decretum.

QVoniam ex tempore immemorabili noſtræ Eccleſiæ Metropolitanæ ſolui debet ius Cathedraticum, ſeu Synodaticum, quod Paſtor bonus nuncupatur tàm à Parochis noſtræ Ciuitatis, vel Diæceſis, alijſque Sacerdotibus, qui ſeruitijs Eccleſiarum pro Cappellanis ordinarijs, vel extraordinarijs, & miſſas cum ſtipendio celebrant, & iuxta dictam conſuetudinem prima Dominica Maij, quæ olim Synodus S. Ianuarii nuncupabatur, à prædictis omnibus ſoluendum eſſe decernimus ſub pæna dupli, & in ſubſidium ſuſpenſionis à diuinis; exceptis iis, qui à Sede Apoſtolica, vel à noſtris Prædeceſſoribus à dicto onere hactenus exempti reperiuntur, eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones in hac parte innouamus, & quatenus opus ſit, confirmamus.

Decimumtertium decretum.

PRæſenti decreto innouamus ſtatutum Sacrorum Canonum, ac nouiſſimè Sacri Concilii Tridentini, quo decernitur, Reliquias Sanctorum nullo modo poſſe exponi à populo, venerandas etiam in Eccleſiis exemptis, niſi à nobis, vel à noſtra Curia primùm recognitas, & approbatas, ſub pæna Interdicti, etiam quoad Eccleſias exemptas: imò contra inobedientes procedetur ad alias pænas noſtro arbitrio reſeruatas.

Decimumquartum decretum.

CLerici in minoribus Ordinibus conſtituti, qui poſt promotionem habitum abiecerunt, vel vxorem vnicam, & virginem duxerunt, vel militiæ adſcripti actu inſeruierunt; abſque noſtra licentia habitum Clericalem modo nullo iterum reaſſumant ſub pæna carceris, aliiſque noſtro arbitrio reſeruatis. Non tamen intendimus per hoc declarare, de facto reaſſumentium priuilegiis, quæ forte illis com petunt, in aliquo derogare.

Decimumquintum decretum.

CVM ex noſtris Conſtitutionibus cautum ſit, apocas perſonis Eccleſiaſticis directas Bancis, non excedentes ſummam ducatorum quinquaginta debere habere executionem paratam. At quia aliqui contra dictam Conſtitutionem prætendunt diuidere maiorem quantitatem debitam per apocas in petitione, ad hoc vt ſit locus executioni paratæ. Nos ad recidendas lites, & ad euitandas fraudes, declaramus in caſu ſolutionis factæ pro reſiduo, non tamen excedente ſummam ducatorum quinquaginta, debere habere executionem paratam, non autem pro diuiſione faciẽda à creditore; & ita declaramus, & obſeruandum mandamus, & quatenus opus ſit, noſtras Conſtitutiones Synodales confirmamus.

Decretum decimumſextum.

EX Decretis ſacrorum Canonum ſancitum eſt, veſtes ſacras pro cultu diuino, & ſacrificio Miſſæ deſtinatas, debere deſeruire tantum pro conſtitutis in Ordinibus ſacris; cumque percrebuerit abuſus, vt illis etiam Clerici in Eccleſijs pro functionibus ſacris vtantur. Ideò ad tollendos præfatos abuſus, mandamus in poſterum Sacriſtis, vel alijs Rectoribus, ſeù Præfectis Eccleſiarum ſub pœna ducatorum ſex, alijſque noſtro arbitrio, ne permittant dictos Clericos talibus veſtibus ſacris vti in Eccleſiis pro functionibus Eccleſiaſticis; & ſub eadem pœna præcipimus, ne dicti Clerici illis vtantur, alijſque pœnis noſtro arbitrio reſeruatis.

De vita & honeſtate Monialium
Compendioſa Inſtitutio.

CVM mulier innupta, & virgo (vt inquit Apoſtolus) cogitet quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu; Sanctimoniales, quæ ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti peculiares ſponſæ ſunt, nihil præter ſponſum diligere, vel cogitare, nec in rebus vllis, niſi in eo cunctas delitias collocare debẽt. Hinc eſt, quòd nos nonnulla, quæ in ipſarum Sanctimonialium viſitatione, & reformatione Monaſteriorum curanda, & prouidentia animaduertimus, nunc pro earum honeſtate, & ſanctitate cuſtodienda, duximus memoranda, & obſeruanda.

Primo.

IN primis vt suæ profeſſionis, votorum, ac ſponſionis ſemper meminerint, vt omnem occaſionem, ne primam fidem Chriſto dilecto ipſarum ſponſo præſtitam irritam faciant, habentes

dam-

damnationem;ſed pudicitiam, quam Deo vouerunt illibatam, integerrimamque conſeruent, nullas noxias, aut obſcœnas cogitationes admittant, ne Dei Numen, quod vbique præſens eſt, Angeloſque earum cuſtodes offendant; ſcientes, quod oculi Domini contemplantur bonos, & malos.

Secundo.

DEinde Abbatiſſis, Prioriſſis, earumque Superioribus omnem reuerentiam, & obedientiam prompte exhibeant, & ad nutum pareant, nec illarum mandatis duras, difficiles, aut moroſas ſe præſtent.

Tertio.

SAcramenta frequentent, & in Choro ſollicitas, & deuotas tàm in nocturnis vigilijs, quàm in alijs diurnis horis decantandis ſe gerant, & in oratione frequentes, non remiſſæ, ſed feruẽtes meditationibus, ſacrorum librorum lectioni vacent, & nullos libros vanos legant. Sperent (inquit ille) in Deum, inſtent in orationibus, & obſecrationibus die, ac nocte.

Quarto.

MAnibus ſuis (vt eas tentator ſemper aliquid facientes inueniat occupatas, operentur) ſed vt opera ſeria, & vtilia, non vana, vel indecentia, aut parum honeſta faciant, conſtruant, ac acu laborent; non auaræ, nec cupidæ, nec turpe lucrum ſectantes.

Quinto.

HVmiles, & deuotas, non inquietas, aut clamoroſas, nec querulas, non contentioſas, ſed mites, patientes, obediẽtes, placidas, ac compoſitis moribus omnibus præſeferant.

Sexto.

MVrmurationes, ſuſurrationes, detractiones, cachinnos vitent: nam reliquas mulieres Apoſtolus docet pudicas, non detrahentes, ſobrias, & fideles in omnibus eſſe oportere.

Septimo.

ET vt ipſarum modeſtia omnibus nota ſit, ab omni fuco, & corporis ornatu, capillorum, & capitis concinnitate, & curioſo habitu, delicatis veſtibus, earum elegantia, quæ nec etiam ſeculares mulieres decet, iuxta Apoſtolicam inſtitutionem, necnõ inuerecundo geſtu, odoribus, vnguentis, & ſpeculis abſtineant, ſed ſoli Deo, cui ſe deſponderunt placere, ſtudeant in ipſius, & proximi charitate perſeuerantes.

CEllas ſemper apertas,& paupertati,quam profeſſæ ſunt, conſentaneas cum Chriſti,& Sanctorum imaginibus,non topiario opere fabricatas,cęlatas,aut deauratas, non ſericeis, non tapetibus paratas,non vanis picturis,non impuris,aut profanis hominum imaginibus, vel aliàs indecenter ornatas, nec inanem, inutilem, aut ſuperfluam ſupellectilem habeant, vt exterior cultus per omnia interiori reſpondeat.

Nono.

NIhil omnino proprij vnquam retineant,ſed omnem proprietatem velut abominationem exhorreant,nec aliquid emere, vel vendere abſque earum Monaſterij Superioris licentia audeant,ſiuè præſumant.

Decimo.

SVſpectas conuerſationes,& ſecretas confabulationes caueant, nec ſint otioſæ,verboſæ, curioſæ loquentes quæ non oportet: cum nullo etiam coniunctò ſine ſuæ Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ licētia audeant miſcere ſermones, & hos niſi in Rota, vel ante Crates,ſeu Cancellos ferreos, vel abductu vultu dimiſſo, vt honeſtæ, ac humiles in colloquijs appareant præſente præfata Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa, aut Rotarijs, ſeù alijs ad id deputatis, & tunc nullo modo porta, ſeù foribus Monaſterij ſemi apertis.

Decimoprimo.

AD earum colloquium præter parentes,germanos fratres, & ſorores,neminem ſine noſtra,ſeù noſtri Vicarij Monialium licentia in ſcriptis obtenta admittant;nec aliquem intra clauſtra ſine licentia etiam in ſcriptis in caſu neceſſitatis tantum concedenda, & tunc nonniſi cum Monialium deputatarum comitatu nullatenus introducant:nulli etiam honeſtę perſonæ niſi manifeſta,& rationabili cauſa intercedente , & tunc cum Superioris licentia ingreſſus,vel acceſſus pateat ad eaſdem.

Decimoſecundo.

ET tantò minus ipſæ de Monaſterio ex quacumque cauſa exire,nec alia monaſteria,vel domus circumire, neque per ſuorum,vel alienas edes circumcurſare præſumat, ſed perpetuam, inuiolatamque ſeruent clauſuram,vt per Bonifacij VIII. innouatam Conſtitutionem, & Sacri Concilij Tridentini decreta ſtatutum eſt, ſciētes vniuerſas, & ſingulas Moniales cuiuſcumque Religionis ſint,vel Ordinis,in quibuslibet mundi partibus exiſtentes ſub perpetua debere manere clauſura, nullique ipſarum in Religio-

gione tacitè, vel expreſsè profeſſæ quacumque ratione, vel cauſa concedi poſſe facultatem è Monaſterijs huiuſmodi egrediendi, niſi in caſibus contentis in Conſtitutione felic. Record. Pij V, quę incipit Decori, &c.

Decimotertio.

NVlla Monialis Conuerſa, Nouitia, & alia quæcumque mulier in Monaſterijs clauſtralibus degens catellos cuiuſcumque generis retineat, ſeù apud ſe habeat, & ſi quæ ad præſens actu illos teneat, omnino dimittere teneatur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda nobis reſeruata.

Decimoquarto.

HAbitus ſeculares viriles, ſeù muliebres etiam ad animi relaxationem, vel tempore carnis priuij (cum diſſolutio ſit potius Eccleſiaſticæ diſciplinæ) nunquam induant, nec comedias, fabulas, repreſentationes, ſeù quaslibet actiones ſeculares repræſentent ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, nec cantus figuratos ſub pœna interdicti earumdem Eccleſiarum admittant, ſed ab omnibus denique ludis, ſeù iocis vanis abſtineāt.

Decimoquinto.

NEC Confeſſoribus tàm ordinarijs, quàm etiam extraordinarijs munera, vel alia dona mittantur ab ipſarum ſingulis, ſed tantum à Prioriſſa, ſeù Abbatiſſa permittantur ad eoſdem Confeſſores, ſub pœna ipſo facto incurrenda reuocationis facultatis audiendi confeſſiones Monialium; nec etiam prætextu miſſarum celebrandarum, quæ non poſſit excedere eleemoſynam duorum carolenorum pro qualibet miſſa.

Decimoſexto.

CVM aliàs noſtro particulari edicto prohibitum ſit ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, ve nulla Monialis, aliaue mulier degens in Monaſterio clauſtrali admittat in eius domo, ſiuè cella nouitiam, vel educandam ad pernoctandum, id etiam præſenti Conſtitutione Synodali ſtatuendū eſſe duximus, exceptis ijs, quæ à Sancta Sede Apoſtolica obtinuerint licentiam.

Decimoſeptimo.

DEnique iuxta Apoſtolum irreprehenſibiles ſint, & tanquam Dei Omnipotentis ſeruitio ſe mancipatas agnoſcant, dignæque cum virginibus prudentibus, & vigilantibus accenſas lampades, & oleum habentibus in vaſis ſuis, æterno Sponſo occurrere & cum eo ad nuptias ſempiternæ illius felicitatis intrare, & quæ

ve-

velut puriſſimæ Virgines ſequi Agnum quoque mereantur.

Decimo octauo.

De non retinendis, nec cuſtodiendis mulieribus ſecularibus in Monaſterijs.

QVoniam experientia, quæ eſt rerum magiſtra, deprehẽdimus cohabitationem, & conſuetudinem ſecularium mulierum cum ſacris virginibus ſacræ virginali pudicitiæ maximè perniciosam eſſe, & ex ea plurima, & grauia ſcandala in dies exoriri; ſtatuimus, & ordinamus ne de cætero, quæcumque ſeculares mulieres cuiuſcumque conditionis, aut nobilitatis exiſtant in Monaſterijs, vel Conuentibus Monialium, ſeù Sororum quorumcumq; Ordinum nobis ſubiectis, vel exemptis recipiantur, ſeù admittantur in perpetuum, ſiuè ad tempus etiam breue, etiam ſub prætextu ſequeſtri ſecuritatis, aut cuſtodiæ ſub pœna Abbatiſſis, ſeù Præfectis, & Superioribus Monaſteriorum prædictorum priuationis eorumdem officiorum, quoad reliquas Moniales interdicti earũdem Eccleſiarum, vltra alias pœnas à Iure inflictas contra talia perpetrantes.

Decimonono.

CVM aliàs noſtro edicto particulari prohibitum ſit Monialibus, & Sacriſtis Monaſteriorum nobis ſubiectorum, vt durante anno earundem officij Sacriſtiæ, non poſſint expendere pro neceſſitate Sacriſtiæ, pecuniam aſſignatam pro earundem ſubuentione, nec eorum titulo donationis tàm à conſanguineis, quã ab alijs exteris, etiam quod procuretur peruenire ad manus Abbatiſſæ, ſeù alterius perſonæ Eccleſiaſticæ, vel ſecularis, ad hoc vt, poſſit poſtea deſeruire pro vſu Sacriſtiæ, ſed tantùm debeant expendere id, quod aſſignatur ab Abbatiſſa pro ſeruitio, & vſu Sacriſtiæ tantum, ſub qua prohibitione declaramus etiam comprehendi donatiuum fieri ſolitum ab eiſdem Sacriſtis in fine anni eorum Sacriſtiæ, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ nobis reſeruatæ: qua cenſura ligare volumus tàm Moniales Sacriſtas, quàm etiam Abbatiſſas contrafacientes, prout in noſtro edicto, quod hac noſtra Conſtitutione Synodali confirmamus, & inuiolabiliter obſeruari mandamus.

Vigeſimo.

NVlla Monialis in eadem domo, ſeù cubili aliam mulierem ad pernoctandum admittat, cum vnaquæque debeat habere propriam cellam iuxta decreta Sacræ Congregationis Regularium; & quando vnaquæque Monialis ob anguſtiam habitationis

nis

nis non poteſt habere propriam cellam; tunc ad minùs debeant eſſe tres in eadem cella.

Nec Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa cuiuſcumque Monaſterij vltra annum Nouitiam à die ſuſcepti habitus in Monaſterio degere permittat, ſed ſtatim dicta Nouitia teneatur profeſſionem emittere, finito anno Nouitiatus; expleto demum decimoſexto anno ætatis, vel illam è Monaſterio expellere, iuxtà decreta Sacræ Congregationis ſub pœna priuationis officij quoad Abbatiſſam, & ita etiam quoad educandas obſeruandum ſtatuimus, adeò vt ſtatim completo vigeſimoquinto anno expellatur.

Nec maſculus, vel fœmina cuiuſcumque ętatis ad ingreſſum clauſurę cuiuſcumque conditionis admittatur ſub pœna quoad admittentes excommunicationis ipſo facto incurrenda nobis reſeruata.

Nec Educandę, vel Moniales vltra duas Sorores ad habitum ſuſcipiendum admittantur etiam ex cauſa educationis, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ: & tunc cum priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, & cum dote duplicata, alijſq. conditionibus in dictis licẽtijs apponi ſolitis.

Cumque inconueniens ſit in Monaſterijs nobis ſubiectis, vt nec à Monialibus, nec à Conuerſis ſub prętextu quod ſint exteræ, conſanguineis, vel alijs accedentibus ad illas viſitandas in cratibus parare comeſtibilia cum magno ſcandalo, idque aliàs ſub noſtro particulari prohibuimus edicto ſub pœna carceris per menſem, ac etiam per duos menſes non acceſſus ad crates. Propterea illud confirmamus, & extendi volumus etiam ad Moniales, ſub eiſdem pœnis, alijſq. noſtro arbitrio reſeruatis.

Ita etiam quod nec poſſint alloqui nec cum fœminis, nec maſculis in portello, niſi fuerit conſanguineus, vel affinis in primo, vel ſecundo gradu, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, licet noſtro edicto prohibuerimus, nunc præſenti Conſtitutione Synodali illud confirmamus.

Sicut etiam ad crates Monialium prohibuimus cantus, vel ſonos ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda nobis reſeruata, ad quam pœnam volumus incurrere etiam Abbatiſſam, vel Prioriſſam admittentes Moniales ad præfatos cantus, & ſonos ad dictas crates, ideoque hac noſtra Synodàli Conſtitutione iam dictas prohibitiones confirmamus.

A. Card. Philamarinus Archiepiſcop. Neap.

In Synodo Diœceſana habita Neap. die 14. menſis Aprilis 1652.

Primum Decretum.

CVM Eccleſiæ diuino cultui dicatæ Domus orationis eſſe debeant, & ideo quicumque actus profani, & indecentes procul ab eis arcendi ſint, tanto magis id in ſacrificio miſſę ſeruandum eſt, & tamen inoleuit abuſus, vt Sacerdotes proprię ſalutis immemores, vel naribus, vel ore, dum ad ſacrificium peragendũ accedunt, tabaccum vulgo nuncupatum ſumant, proinde lintea ſacra fædentur, & conſpergentur Eccleſias prędictas tetro odore inficiendo magno cum populi ſcandalo, & rerum ſacrarum irreuerentia. Nos igitur ad præfatos abuſus tollendos mandamus omnibus, & quibuſcumque Sacerdotibus cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtant in noſtra Ciuitate, vel Diœceſi, quatenus ſub pęna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, alijſq. noſtro arbitrio reſeruatis nullo modo audeant accedere ad ſacrificium peragendum cum ore, vel naribus, vt præfertur fędatis.

Secundum decretum.

QVoniam in exactione Iurium Parochialium circa Funeralia nec in Conſtitutionibus Synodalibus noſtris, vel noſtrorum Prædeceſſorum, nec in libello exequiarum reperitur aliquid taxatum in caſu quo aliquis decedit in aliquo loco Diœceſis, vbi moram trahit occaſione infirmitatis curandæ, vel alio caſu diem obijt extremum: quare eo prætextu, quod defunctus ſit exterus, & non de Parochia illius loci, ij, ad quos ſpectat petunt, vel extorquent quantitatem indebitam pecuniarum, & eo magis quando eligit ſepulturam in aliena Diœceſi, ideo ad tollendos abuſus pręfatos, quantum in nobis eſt, & ad euitandas lites, & controuerſias mandamus in futurum Parochis, & alijs, quibus debetur Ius Parochiale, quatenus non debeant excedere ducatos ſex ſub pęna centum librarum ceræ locis pijs, alijſq. pœnis noſtro arbitrio reſeruatis.

Tertium decretum.

CVM turpe ſit, & indecorum vt à perſonis Eccleſiaſticis pro ſepultura concedenda exigantur pecuniæ, nihilominus ſunt qui non verentur contra omnia Iura petere quantitates exorbitantes, & ideo à noſtris Prędeceſſoribus pluribus Conſtitutioni-

bus

bus Synodalibus ſatis cautum ſit, Iura Parochialia eſſe ſtatuta: Nos, quatenus opus eſt, illas renouantes ſtatuimus, ne eiſdem Parochis, vel Rectoribus Eccleſiarum ſit licitum vt fidelium cadauera ſepelire alibi, quàm in ſepultura electa, & pro licentia præſtanda nihil penitus, prçterquàm Iura Parochialia ſolita, & conſueta exigant ratione dicti conſenſus ſub pęna centum librarum ceræ, alijſq. noſtro arbitrio reſeruatis. In Eccleſijs verò Regulariũ quando contingerit eligi ſepulturam aliqua eleemoſyna à ſponte dantibus admittatur; ipſis verò recuſantibus, vel aliquam pecunię quantitatem exorbitantem petentibus recurrendũ ad Nos, vel ad noſtrum Vicarium Generalem, ad hoc vt prouideri poſſit. In qua Eccleſia cadauer debeat ſepeliri, &c. & eo caſu cenſetur eoſdem Regulares recuſaſſe cadauer ad ſepulturam electam admittere.

Quartum decretum.

QVoniam ex funeralibus, ſeù exequijs, quę fiunt de nocte vt plurimum ſolent oriri ſcandala, & diſſentiones; & ideo à noſtris Prędeceſſoribus varijs Conſtitutionibus Synodalibus prouiſum eſt, etiam pœnis pecuniarijs adiectis ne fiat. Nos illas renouantes, quatenus opus ſit, ſub eiſdem pęnis, alijſque noſtro arbitrio reſeruatis mandamus Canonicis, & Capitulo noſtrę Eccleſię Cathedralis, ne abſq; noſtra licentia, &c. alijſq. verò inferioribus ne abſq. licentia noſtri Vicarij Generalis, &c. huiuſmodi funeralibus interſint.

Quintum decretum.

MAgiſtros laicos quarumcumque Eccleſiarum prçſumentes abſque priuilegio Apoſtolico alienare bona ſtabilia, iura, actiones, vel bona pretioſa mobilia prædictarum Eccleſiarum pęnas à ſacris Canonibus incurrere, & alienantes præfatas nullas, & irritas extare declaramus.

CVM aliàs à noſtris Predeceſſoribus in Conſtitutionibus Synodalibus vetitum ſit Cappellas quaſcumq; & ſepulchra tam in Eccleſijs benedictis, quàm conſecratis exiſtentes, cùm res ſacrę ſint abſq. Ordinarij licentia vendi, & alienari, ſeù ad annuũ canonem concedi, & contractus eſſe nullos, & irritos tanquam contra ſacros Canones declaratum ſit, & ſi poſtea ad poſſeſſionis actum, ac traditionem deuentum ſit, ipſo facto incurrere excommunicationem: nihilominus illis non obſtantibus irrepſit abuſus; ideo ad remouendos prefatos abuſus illas renouantes, & quatenus opus ſit, illas confirmantes, &c. Rectoribus Eccleſiarum, ſeu Sacriſtis mandamus ſub pœna librarum centũ ceræ locis pijs, &c. vt ſtatim habita notitia nobis denuncient, &c. adhoc vt opportunè prouideri poſſit.

Septimum decretum.

INſinuatum nobis fuit à laicis Magiſtratibus promulgatũ fuiſſe bannum prohibens perſonis Eccleſiaſticis adminiſtrationem officiorum publicorum, & votum dare in electione Officialium, alijſq. negotijs, quæ tractantur in plateis huius Ciuitatis, prout hactenus fuit obſeruatum. Cùmque ex ſacrorum Canonum præſcripto laicis in clericos, & perſonas Eccleſiaſticas nulla ſit attributa, nec permiſſa poteſtas, nec iuriſdictio: decernimus, & declaramus bannum prædictum; ſimileſque prohibitiones nullatenus perſonas Eccleſiaſticas ligare, nec comprehendere, illudque contra huiuſmodi perſonas Eccleſiaſticas exequentes, vel quomodolibet directè, vel indirectè exequi, præſumentes, vel mandantes in pœnas, & cenſuras in ſacris Canonibus, & præſertim in Bulla Cęnæ Domini contentas incurrere: & propterea Confeſſarios tã Seculares, quàm Regulares tranſgreſſoribus nullatenus abſolutionem impendere poſſe; ſecus verò facientes pœnis in dicta Bulla contentis, & alijs noſtro arbitrio reſeruatis decernimus ſubiacere.

Octauum decretum.

CVM decreto S.C.T. ſtatutum ſit, nè Epiſcopi patiantur in priuatis domibus, atque omnino extra Eccleſias diuino cultui

dicataſ,vel in Oratorijs priuatis celebrari, & à decreto Fel. Record. Pauli Papæ V. omnes, & quæcumque licentiæ ab Ordinarijs locorum quibuſcumq. perſonis cuiuſcumq. conditionis exiſtant, concedere, & conceſſæ reuocatæ ſint; & declaratum in futurum, non licere abſque priuilegio Apoſtolico, & in loco ab eiſdem Ordinarijs prius deſignando, viſitando, & approbando, etiam inolenit abuſus, & priuſquàm ab Ordinarijs viſitentur, & approbentur in eiſdem celebretur. Ideo mandamus ſub pęna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, &c. omnibus Presbyteris tàm Secularibus, quàm Regularibus vti Delegatus Apoſtolicus, vt nullo modo in præfatis Oratorijs celebrent, etiam ex priuilegio Apoſtolico, antequam Oratoria à noſtra Curia viſitentur, & approbentur, iuxta formam literarum Apoſtolicarum.

Nonum decretum.

CVM res ſacras diuino cultui dicatas, ac bona pretioſa mobilia alienare, aut pignori dare, quauis vrgente neceſſitate, abſq. noſtra licentia ſub pœna excommunicationis, alijſq. noſtro arbitrio reſeruatis per Conſtitutiones Synodales noſtrorum Prędeceſſorum ſatis vetitum ſit; nihilominus non deſunt, qui de facto contraueniunt, ideo illas renouamus, & quatenus opus ſit de nouo decernimus, vllo modo licere eas alienare, aut pignori dare ſub pęna excommunicationis, alijſq. noſtro arbitrio reſeruatis.

Decimum decretum.

LIcet de iure prohibitum ſit omnibus Sacerdotibus exorciſmũ energumenis adhibere, niſi cum facultatibus in ſcriptis obtentis à Nobis cum clauſulis, & conditionibus in licentia impreſſa contentis; nihilominus non deſunt Sacerdotes tàm Seculares, quàm Regulares, qui de facto abſque licentia adhibent præfatos exorciſmos, ideo mandamus Sacerdotibus ſecularibus ſub pæna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, cuius abſolutionem Nobis reſeruamus, &c. & Regularibus ſub pæna priuationis facultatis auſcultandi confeſſiones ſecularium, &c. quatenus ſint confeſſores, alijſq. noſtro arbitrio pœnis reſeruatis, vt in poſterum ab huiuſmodi exercitio, niſi vt præfertur, abſtineant.

Vndecimum decretum.

SIcut proceſſiones,& ſupplicationes inſtitutæ ſunt, vt pijs orationibus mens eleuetur in Deum,& à Chriſtiana pietate alienum eſt in dictis proceſſionibus ea fieri,quæ ab hominum peruerſitate offenſionis,& riſus, & irreuerentiæ occaſiones exiſtunt;propterea vt proceſſiones prædictæ ea,qua decet reuerentia,deuotione,grauitate, & modeſtia peragantur, ſub pœnis noſtro arbitrio reſeruatis, actiones, ſeu repreſentationes quaſcumque in prędictis proceſſionibus adhiberi prohibemus.

Duodecimum decretum.

COngregationes, & Collegia, quæ cum Eccleſiaſtica non faciunt immunem perſonam aliquam à ſeruitio Eccleſiæ, vel oneribus incumbentibus,niſi ſeruata forma ſacrorum Canonum, ſub pœnis centum librarum ceræ in caſu contrauentionis, alijſq. noſtro arbitrio reſeruatis.

Decimumtertium decretum.

CVM aliàs à noſtris Prædeceſſoribus ſub pęna librarum viginti ceræ Parochis noſtræ Ciuitatis,& Diœceſis iuxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem mandatum ſit librum Rituale Romanum nouiſſimè editum penès ſe retinere, & habere, &c. & illius in Sacramentum adminiſtratione ſeruare, &c. illas renouamus, &c.inuiolabiliter ſeruari mandamus.

A.Card.Philamarinus Archiepiſcop. Neap.

In Synodo Diœceſana habita Neap. die 14. Menſis Aprilis 1658.

IN Dei nomine. Amen. Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſic notum quod anno à Natiuitate Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octauo, Indictione vndecima, die verò decimanona Menſis Maij Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri Diuina prouidentia Papæ Septimi, anno quarto. Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Aſcanius tituli S. Mariæ in Ara Cœli S. R. E. Presbyter Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neapolitanus, decreuit celebrare Sextam Synodum Diœceſanam vnica Seſſione; Cumq; iam propterea mandaſſet fieri, & publicari Edictum publicum, cuius copiæ affixæ fuerunt ad Valuas Metropolitanæ, & Parochialium maiorum Eccleſiarum prædictæ Ciuitatis, quod publicatum fuit ad ſonum campanelli per Curſorem Curiæ Archiepiſcopalis, tenoris ſequentis videlicet.

Primum Decretum.

SAncta, nè dum sanctè, ſed etiam ſacris in locis miniſtrari debere docuit ſemper Eccleſia Catholica; quoniam verò inſinuatum eſt nobis, obrepſiſſe in hac Ciuitate abuſum celebrandi diuina officia, canendo identidem Veſperas ſolemniter, & Miſſas, licèt diminutas, apud quaſdam imagines in parietibus viæ publicæ depictas, ideò his abuſibus debitis remedijs occurrere volentes, præcipimus, vt deinceps nullus Sacerdos, ſiuè Clericus ſæcularis, aut regularis, audeat, ſub quouis prætextu, etiam antiquiſſimæ conſuetudinis, quæ potius corruptela dicenda eſt, huiuſmodi generis officia peragere apud imagines ſupradictas in parietibus viæ publicæ depictas, ſub pœna, reſpectu presbyterorum, & clericorum ſæcularium, centum librarum ceræ laboratæ, viſibus pijs applicanda; reſpectu verò Regularium, ſub pœna interdicti eorum Eccleſiarum, apud quas dictæ imagines depictæ reperiuntur.

Secundum Decretum.

MVſicos, & modulatos cantus, præſertim cum inſtrumentis cuiuſcumque generis, etiam tubis, apud huiuſmodi imagines in parietibus viæ publicæ huius Ciuitatis, & Suburbiorum depictas, fieri; ſiuè choreas, aut ſaltus ducere, omninò prohibemus, ſub pœna excommunicationis, latę ſententię, nobis reſeruata.

Tertium Decretum.

LIcèt alias noſtra ſimili Conſtitutione Synodali, in anno 1648. edita, etiam vigore Decretorum Sacri Concilij Tridentini, ſatis cautum appareat, nullũ Sacerdotem Sæcularem, ſiuè Regularem, eſſe habilem ad audiendas confeſſiones Chriſti fidelium, niſi præuia approbatione ab Ordinario loci obtenta, & aliter confeſſiones ab ipſis auditas, eſſe nullas, & inualidas: Quia verò ad aures noſtras perlatum eſt, nonnullos Sacerdotes, propriæ ſalutis immemores, non vereri in hac noſtra Ciuitate, & Diœceſi, abſque tali approbatione, confeſſiones fidelium audire, ideò huic malo, pro noſtro paſtorali officio, quantum in nobis eſt, opportunum aliquod remedium adhibere cupientes, declaramus, quoſcumque Sacerdotes, qui poſt hac, abſque noſtra approbatione, quorumcumque fidelium vtriuſque ſexus, confeſſiones audire præſumpſerint, vltra pœnas cenſurarum, quibus tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, à nobis corripiendi erunt, etiam pœnæ carceris formalis per biennium ſubiacere, taliter dictam priorem noſtram Conſtitutionem declarantes, & reſpectiuè ampliantes.

Quartum Decretum.

INcongruum æſtimari non debet, vt ea, quæ à nobis aliquando ſancita ſunt, ipſa demum experientia ſuadente, iuſtis, ac rationabilibus cauſis, ſæpè ampliari expediat; alias ſiquidem peculiari Conſtitutione Synodali, in anno 1644. ędita, etiam in exequutionem declarationum Congregationis Sacrorum Rituum, ſtatutum fuit, non licere in Oratorijs priuatis, alicui, etiam authoritate Apoſtulica conceſſis, celebrari facere in quibuſdam ſolemnioribus feſtis, videlicet Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ Reſurrectionis, Penthecoſtes, Annuntiationis, & Aſſumptionis B.M.V. Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, nec non Omnium Sanctorum, Circumciſionis, & Aſcenſionis Domini, Corporis Chriſti, Sancti Ioſeph, ac Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ, ſub pœna reuocationis licentiæ obtentæ. Quoniam verò compertum eſt, à multis huiuſmodi prohibitionem non obſeruari, ideò ſupradictam Conſtitutionem confirmantes, vltrà dictam pœnam, quam declaramus ipſo facto incurrere, quoſcumque, quauis authoritate fulgentes, qui celebrari facere auſi fuerint, abſque noſtra expreſſa licentia in eorum Oratorijs priuatis, dictis diebus feſtis, vt ſupra

exceptis: Sacerdotes etiam,qui poſt hac, huiuſmodi noſtro decreto contrauenire attentauerint, pœnis ſuſpenſionis à diuinis, & alijs, etiam grauioribus, noſtro arbitrio reſeruatis, decernimus ſubiacere,talitèr præfatam noſtram Conſtitutionem ampliantes.

Quintum Decretum.

CVm feſtum Sacratiſſimi Corporis Chriſti, Sancta Mater Eccleſia celebrandum indixerit feria quinta,poſt Dominicam Sãctiſſimæ Trinitatis,ideòque prædicta die,& per totam Octauam à multis Eccleſijs ſolemniter, ſecundum laudabilem Cõſuetudinem, idem Sanctiſſimum Chriſti Corpus proceſſionaliter circumferatur à fidelibus adorandum; ſępius à nobis ordinatum eſt, ad hoc, vt cum maiori decentia proceſſiones huiuſmodi procedant, illas fieri debere (prout fit in noſtra Cathedrali Eccleſia) de mane ante prandium, Et quoniam à nõnullis, huiuſmodi prohibitione non obſtante, tales proceſſiones fiunt de ſero,& poſt prandium;Præſenti decreto ſtatuimus, & mandamus, quod in poſterum nullus Presbyter ſæcularis, cuiuſcumque Eccleſiæ noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis, quacumque authoritate, ſiuè dignitate præfulgens, ſub pœna ducatorum centum, vſibus pijs, in caſu contrauentionis applicanda, accedere præſumat ad tales proceſſiones poſt prandium, vt præfertur faciendas,exceptis Eccleſijs,quibus ex indulto Apoſtolico id facere permiſſum eſt; Presbyteris verò Eccleſiarum exemptarum, nullo modo facere liceat huiuſmodi proceſſiones de ſero, & poſt prandium, abſque noſtra expreſſa licentia in ſcriptis obtinenda, ſub pœna interdicti dictarum Eccleſiarum, ipſo facto incurrenda, idque ſeruandum etiam decernimus in ſimilibus proceſſionibus, forſan faciendis (ex aliqua iuſta cauſa,à nobis approbanda) poſt octauam dictæ ſolemnitatis, ſub iam dictis pœnis.

Sextum Decretum.

AD ſecundas diſcordias, quę in huiuſmodi proceſſionibus occurrere ſolent, cum maximo populi ſcandalo, & irreuerentia tantę ſolemnitatis, mandamus ſimiliter omnibus Rectoribus Parochis,ſeù Sacriſtis Eccleſiarum Parochialium, vel Collegiatarum huius Ciuitatis, & Diœceſis, quod in illis Eccleſijs, apud quas viget laudabilis conſuetudo proceſſionali-

tèr deferendi præfatum Sanctiſſimum Chriſti Corpus, infrà dictam Octauam, vel poſt illam, præcedente noſtra licentia, nullus audeat, ſeù præſumat, ſic proceſſionaliter eundo, excedere fines propriæ Parochiæ, nec permittere; quod aliquis Presbyter, ſiuè Clericus, præter celebrantem, & duos aſſiſtentes ſolos, in dictis proceſſionibus, ſacerdotalibus, & ſacris veſtibus, paratus incedat, ſub pœna, reſpectu perſonarum Eccleſiaſticarum, librarum centum ceræ laboratæ, vſibus pijs applicanda, & alijs pœnis noſtro arbitrio reſeruatis: Reſpectu verò Confratrum laicorum, qui tales proceſſiones aſſociare ſoliti ſunt, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda.

Septimum Decretum.

QVoniam quandoque occurrit in certis caſibus repentinis, vt accerſito proprio Parocho, ad finem adminiſtrandi Sacramenta infirmis, vel morti proximis, nullo modo illum (aliqua occupatione detentum) vel alia de cauſa abſentem, in ſua Parochia reperiri, ideò nè fideles propter ſui Parochi abſentiam, in his caſibus, debita Sacramentorum adminiſtratione priuentur, declaramus, occurrente huiuſmodi neceſſitate tantum, Eccleſiaſtica Sacramenta Confeſſionis, Viatici, & Extremę Vntionis, Parochos etiam alterius vicinioris Parochię, licitè, & liberè miniſtrare poſſe, abſque vllo pœnarum incurſu, citra tamen prçiudicium Iurium Parochialium proprio Parocho competentium.

Octauum Decretum.

CVm Decreto Sacri Concilij Tridentini, ac nouiſſima Conſtitutione fœlicis recordationis Pauli Papę Quinti, declaratum ſit, non licere quibuſcumque perſonis, cuiuſcumque gradus, ſtatus, & conditionis exiſtant, celebrari facere Miſſę ſacrificium in priuatis Oratorijs ſuarum domorum: abſque Priuilegio Apoſtolico, & tali caſu, in loco decenti, prius per Ordinarium loci viſitando, & approbando; Ideò cum nobis innotuerit, in aliquibus Oratorijs priuatis huius Ciuitatis, in quibus à Sancta Sede Apoſtolica indultum eſt, Miſſę ſacrificium celebrari poſſe, priuſquam viſitentur per noſtrum Generalem Vicarium, in eis celebrari temere prçſumitur; Propterea omnibus, & ſingulis Presbyteris ſæcularibus, ordinaria, regulari-

bus

bus verò Apoſtolica nobis delegata, qua fungimur auctorita-
te, vigore præſentis Decreti, mandamus; vt nullo modo audeant,in huiuſmodi priuatis Oratorijs celebrare, antequam de mandato noſtro viſitentur, & approbentur, debitamque licentiam celebrandi obtinuerit, iuxtà formam literarum Apoſtolicarum, per impetrantes obtentarum, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis,alijſque pœnis,noſtro arbitrio reſeruatis, ipſo facto, in caſu contrauentionis, incurrendis.

Nonum Decretum.

Cordi nobis ſemper fuit, vt in Iudicijs; præſertim ciuilibus; quæ in noſtra Curia Archiepiſcopali agitantur, ſuperfluæ dilationes debitorum litigantium reſecentur,nè partes maioribus, quam par eſt, expenſis pro recuperatione eorum crediti grauentur: Alias ſiquidē,tàm à noſtris prædeceſſoribus, quàm à nobis etiam ſtatutum reperitur, deberi viam exequutiuam apocis Bancorum,cum certis moderationibus, prout in Decretis Synodalibus deſuper æditis; Cum itaque pari,imò maiori ratione omnia ſupradicta procedāt in litteris cambij proteſtatis; Præſenti noſtro Decreto, eandem viam exequutiuā, poſt hac in noſtra Curia Archiepiſcopali competere decernimus pro credito ſpectante vigore literarum cambij, tanquam magis de Iure priuilegiato, taliter ſupradictas priores Conſtitutiones ampliando.

Decimum Decretum.

INter alia, quæ parum decenter, & contra ritus Eccleſiaſticæ diſciplinæ à Sacerdotibus, & Clericis huius noſtræ Diœceſis peraguntur,nō vltimum obtinēt locum abuſus,qui circa modum aſſociandi fidelium corpora ad Eccleſiaſticam ſepulturā irrepſerunt, cum non ſolum id munus indecenter, ac ſine illa, quæ Eccleſiaſticas perſonas decet, modeſtia, ſed cum tumultu, ac rixis perſæpè exercetur; vndè non ſine vindicanda huiuſmodi delinquentium culpa, & ſæcularium ſcandalo, Eccleſiaſtici ritus honor, & Eccleſiaſticarum perſonarum veneratio, multum diminuitur, & conculcatur; huic igitur malo opportunius occurrere volentes, Decreta alias lata à noſtris prædeceſſoribus, ac etiam à nobis, circa modum in funeribus aſſociandis, prout in libello deſuper impreſſo, obſeruandum à Sacerdotibus,& Clericis Confratribus nuncupatis, ac ab alijs,

ac

ad quos ſpectat, ne nouo confirmamus, ac illa ab omnibus in-
uiolabiliter in poſterum obſeruari mandamus, ſub pœnis cō-
tentis in libello, & Decretis ſupradictis.

Vndecimum Decretum.

EO uſque creuit nōnullorum perditorum hominum malitia, vt in eorum propriæ ſalutis detrimentum, non vereantur declinare proprium cor in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis; Cum igitur alias à nobis pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, decreta fuerit, illiuſque abſolutio nobis tantum reſeruata, contra accedentes ad Monaſteria Monialium, quantumuis exempta, vt cum illis, vel aliqua ipſarum colloquantur, etiam ſi ſit Nouitia, conuerſa, aut puella, quæ educationis cauſa ibi commoretur, ſine tamen noſtra, vel noſtri Vicarij licentia, cum declarationibus, & ampliationibus in decreto ſupradicto contentis, inter quas illa eſt pręcipua, vt qui prætextu licentiæ obtentæ, præſumeret cū aliqua Moniali, licet Nouitia, ſeu Conuerſa, vel educanda, de rebus obſcenis, verbis, aut actibus impudicis pertractare, vel litteras, ſiuè internuncium, de huiuſmodi rebus tranſmittere, talem excōmunicationem incurrat: Quoniam verò nuper (nō ſine intimo cordis noſtri dolore) notitiam habuerimus; multos perditos huiuſmodi homines, prętendere, quod talis excommunicatio non incurratur, quando ipſi cum dictis Monialibus, Nouitijs, Conuerſis, ſeu educandis pertractant de huiuſmodi rebus obſcenis, verbis, aut actibus impudicis, non ſub prætextu dictę licentię obtentæ: Propterea eorum animæ ſalutem, ac conſcientias (licèt erroneas) quantum in Domino poſſumus, oportunis remedijs curare volentes; Pręſenti Decreto decernimus, & declaramus, præfatam excommunicationem latæ ſententię, nobis tantum reſeruatam, incurrere omnes illos, qui obtenta licentia, qualibet ex cauſa à nobis, ſiuè noſtro Vicario, colloquendi cum aliqua Moniali, Nouitia, Conuerſa, ſiuè alia quacumque muliere, etiam titulo educationis in dictis Monaſterijs commorante, auſus fuerit cum illis, vel aliqua ex ſupradictis, ſiuè coram ipſis, vel aliqua ipſarum, de rebus obſcenis pertractare, verbis, aut actibus impudicis, ſiuè internuncium, vel litteras tranſmittere, aut ſcribere de huiuſmodi rebus, etiam ſi hoc occurrat, ſine prætextu huiuſmodi licentię obtentæ: Et iuxtà præfatam noſtram de-

clarationem, & decretum, nonam pagellam caſuum reſeruatorum (abrogata priori, quo ad hoc caput) quam primū Typis mandari, & promulgari pręcipimus.

Duodecim Decretum.

QVanto ſtudio proſequuti ſumus (toto hoc noſtri pręſulatus tempore) maius augumentum in ſpiritualibus, & temporalibus Monaſteriorum Sanctimonialium, noſtro paſtorali regimini creditorum, nemo eſt, qui non videat, ſi corde recogitare velit, prouiſiones, & decreta per nos deſuper edita, tàm in reiteratis viſitationibus eorundem: quàm in pręcedentibus Synodis Diœceſanis, ac etiam extrà illas, inter quę non infimum obtinet locum, ordinatio facta mediante peculiari edicto per nos emanato ſub die prima Ianuarij anni 1657. cuius vigore ambitioſam emulationem Monialium, quæ officium Sacriſtę in Eccleſijs dictorum Monaſteriorum pro tempore exercent, refrenare cupientes, prohibuimus, & expreſsè mandauimus, nè Monialis aliqua cuiuſcumque Monaſterij, noſtrę ordinarię Iuriſdictioni, quomodolibet ſubiecti, durante officio Sacriſtę, ſiuè ante eiuſdem officij ſuſceptionem, vel poſt completam illius adminiſtrationem, vllo modo poſſit expendere, etiam in beneficium Sacriſtię ſui Monaſterij, introytus vitalitios, ſibi aſſignatos, nec alias pecunias per ipſam à quacumque alia perſona, ſub quouis titulo, etiam donationis, vel mutui acceptas, quamuis huiuſmodi pecunię in manibus Abbatiſſę, ſiuè Prioriſſę ſui Monaſterij, ſeù alterius perſona, tam Eccleſiaſticę, quàm ſecularis quocumque titulo nuncupatę, animo illas ad talem vſum ſacriſtię per eas, ſiuè per alios, earum nomine (vt pręfertur) expēdendi, peruenerint: Propterea, ad hoc, vt talis noſtra tam ſalubris, & iuſta prouiſio in poſterum arctiùs obſeruetur à ſupradictis Sanctimonialibus, Abbatiſſis, Prioriſſis, Sacriſtis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, & Secularibus, quocumque nomine nuncupentur, quę magis tenentur conſulere publico, & priuato beneficiô ſuorum Monaſteriorum, illud etiam totis viribus promouere: ſupradictum edictum à nobis ſuper hoc emanatum, cuius tenorem hic haberi volumus pro expreſſo; Pręſenti noſtro Decreto confirmantes, illius exactam obſeruantiam, & debitam exequutionem denuô iniungimus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententię, nobis tantum reſeruata, quam incurrere volumus, & decernimus

etiam

etiam quamcumque Monialem, licet Nouitiam, ſiuè alias perſonas, tàm Eccleſiaſticas, quàm ſeculares, cuiuſcumque conditionis exiſtant, quæ habita notitia contrauētionis huius noſtræ Conſtitutionis, illam totiès, quotiès, non denunciauerint nobis, ſiuè noſtro Vicario Monialium.

Tertiumdecimum Decretum.

QVoniam ſæpè (multorum inſinuatione didicimus (cum clamore,) quod nonnulli pauperes, & ęgeni decedentes in Ciuitate, & Diœceſi noſtra Neapolitana, propter eorum inopiã, pluribus diebus carent Eccleſiaſtica ſepultura; Propterea, cum huiuſmodi actus, prĕter ſcandalum, quod in populo generant, Chriſtianę etiam charitati repugnent, volentes ex noſtri officij debito de ſalubri remedio huic malo prouidere; Innouantes, & reſpectiuè confirmantes antiquam huius noſtræ Eccleſię Neapolitanæ Conſtitutionem, de gratis humandis pauperum cadaueribus defunctorum; Præſentium tenore requirimus, atque monemus omnes, & ſingulos Rectores, Parochos; Cappellanos, Cellararios, Confratres quarumcumque Eccleſiarũ Ciuitatis, & Diœceſis noſtrę Neapolitanæ, omneſque alios Parochiam funeralem, ſiuè Ius funerandi quouis titulo habentes, quatenus ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, necnon centum librarum cerę laboratę, vſibus pijs applicanda, vt quam primum ad ipſorum notitiam peruenerit mors huiuſmodi pauperum decedentium, habita fide paupertatis defuncti ſubſcripta à proprio Parocho, & aliquibus vicinis eiuſdem defũcti, ſublato cuiuſcumque morę prĕpedimento, ſtatim eorum proprijs expenſis, vt conuenit, ſepeliri faciant, & curent corpora pauperum decedentium prĕfatorum: Iniungentes Vicario Generali noſtrę Çuriæ pro tempore exiſtenti, vt circa exequutionem huius noſtri Decreti, modis omnibus ſedulò inuigilet, & inobedientes, ſupradictis, & alijs pœnis, etiam grauioribus, per omnia Iuris remedia, authoritate ſua ordinaria compeſcat.

In

In Synodo Diœceſana habita Neapoli die 18. Menſis Maij Anno 1662.

IN nomine Domini. Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quod anno à Natiuitate Domini 1662. Indictione 15. die verò 18. Iunij, Pontificatus autem Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Alexandri diuina prouidentia PP. VII. anno octauo. Eminentiſsimus, & Reuerendiſsimus Dominus Aſcanius tituli S. Mariæ in Ara Cæli S.R.E. Presbyter Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neap. decreuit celebrare ſeptimam Synodum Diœceſanam vnica ſeſsione, cùmq; iam propterea mandaſſet fieri, & publicari Edictum publicum, cuius copiæ affixæ fuerunt ad valuas Metropolitanæ, & Parochialium maiorum Eccleſiarum prædictæ Ciuitatis, quod publicatum fuit ad ſonum campanelli per Curſorem Curiæ Archiepiſcopalis tenoris ſequentis, videlicet.

ASCANIVS MISERATIONE DIVINA Tituli S. Mariæ Ara Cœli S.R.E. Presbyter Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neapolitanus.

CVM ex ſacrorum Canonum, & præcipuè Tridentini Concilij decretis ſtatutum fuerit, vt ſingulis quibuſque annis Diœceſana Synodus celebretur: Nos ideò paſtoralis (quod nobis imminet) muneris non immemores, Diœceſanam Synodum cogere ſtatuimus, vt per eam, quoad Dominus ipſe bonorum omnium largitor dederit, noſtrarum ouium mores reformentur, exceſſus corrigantur, controuerſiæ componantur, & omnia alia, quæ ad Cleri diſciplinam pertinent peragantur. Propterea ordinaria, qua fungimur auctoritate, ſeptimam noſtram Diœceſanam Synodum nunciamus, conuocamus, & celebrandum indicimus Dominica tertia poſt Pentecoſten, quæ erit 18. Iunij currentis anni 1662. Ideoque dilectos Nobis in Chriſto Adm. RR.

Dominos Canonicos, & Capitulum noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ, omneſq. & ſingulos Abbates, Rectores, Collegia Eccleſiaſtica, quoſcumque obtinentes officia, & beneficia Eccleſiaſtica, etiam quæ ſine cura vlla ſunt in hac Ciuitate, & Diæceſi noſtra Neapolitana, omneſque Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, necnon Clericos tàm Seculares, quàm Regulares, qui quouis iure, aut conſuetudine noſtræ Synodo Diæceſanæ intereſſe debent, monemus in Domino, eiſdemque omnibus, & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac pœnis ſacrorum Canonum iure conſtitutis iubemus, vt ea habitus honeſtate, quæ eorum ſtatui conuenit, & cum ſuperpelliceis decentibus ſupradicta die, qua prædictam Synodum in Eccleſia celebrabimus conueniant; idque ipſi, & non alij eorum nomine (niſi legitima cauſa à nobis probanda impediti ſint) præſtare debeant: indè autem cùm conuenerint, ne cuique diſcedere liceat, niſi impetrata à nobis facultate, vt Dei ope, atque auxilio ea, quæ ad animarum ſalutem, ac diuini cultus augumentum faciunt, decernere valeamus. Monemus inſuper, vt poſt in dictæ huius Synodi promulgationem in omnibus Ciuitatis, & Diæceſis noſtræ Eccleſiis Parochialibus, quoad ipſa Synodus abſoluta, ac dimiſſa de more erit (Miſſa de Spiritu ſancto, vel ſaltem Oratio) ſi ob feſtum ſolemne celebrari non poterit, dicatur, ex animoque preces fiant, quibus à Deo auxilium impetretur pro optimo Synodalium tractationum euentu. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, has præſentes literas manu noſtra ſignatas per infraſcriptum Magiſtrum Actorum confici, ſigilloque noſtro muniri, & promulgari, Metropolitanæq. noſtræ, & Parochialium maiorum valuis publicè affigi iuſſimus, Volentes ipſam affixionem eandem habere vim, ac ſi ſingulis, quorum intereſt, intimatæ, & denunciatę perſonaliter fuiſſent. Datum Neap. ex noſtro Archiepiſcopali Palatio die 10. menſis Iunij 1662.

Aſcanius Card. Philamarinus Archiepiſc. Neap.

Locus ſigilli.

Vincentius Ayeta Act. Magiſt. pro Curia.

Et à terg. A dì 12. di Giugno 1662. in Napoli Io Clerico Dominico Iannaccone Corſore ordinario della Corte Arciueſcouale di Napoli hò publicato, & affiſſo le copie del retroſcritto Edit-

to

to,vna alla porta della Chieſa Maggiore di Napoli, & vna alla Parochia di Porta Noua, & vna alla Parochia di San Giouanni Maggiore,& vna alla Parochia di S.Giorgio Maggiore, & vna alla Parochia di S.Maria Maggiore à ſono di campanello,alta,& intelligibili voce,modo,& forma,vt ſupra.

Die 15.menſis Iunij 1662. per eundem Curſorem fuit affixa cedula in pilaſtro intus prędictam Metropolitanam Eccleſiam, propè fontem Baptiſmalem,tenoris ſequentis v3.

Omnes, qui Synodo intereſſe debent, adſint ſuperpelliceis induti:& ſi quis beneficio obtento, nondum in Synodo fidei profeſſionem emiſit,ferat ſecum ſchedulam, in qua ſcriptum ſit nomē, & cognomen profeſſuri cū titulo beneficii obtenti,qua profeſſione emiſſa illam tradet Magiſtro Actorum Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanę.

Et prędicta tertia Dominica poſt Pentecoſten, quę fuit die 18. Iunij 1662.pręfatus Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Aſcanius Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neapolitanus,aſſociatus à Perilluſtri, & Reuerendiſſimo Domino Paulo Garbinati Vicar.General. necnon ab Adm. RR. DD.Canonicis,& Capitulo,Hebdomadarijs,Seminario, & alijs de Clero deſcendit,cruce pręeunte, à ſuo Palatio Archiepiſcopali ad Eccleſiam Archiepiſcopalem,ad cuius ianuam fuit ei per Dominum Primicerium porrectum aſperſorium;quo ſuſcepto, aſperſit ſe,& alios more ſolito: deindè flexis genibus ſuper ſtrato ante Sanctiſſimum Sacramentum,orauit aliquantulum;poſtmodum genuflexus in faltiſtorio, interfuit miſſę priuatæ de Spiritu ſancto, quę fuit celebrata à Domino Canonico D. Octauio Piſa Presbytero præbendato:qua finita,aſcendit ad thronum paratum,vbi induit ſe ſacris paramentis,quibus acceptis,ac depoſita mitra pretioſa, genuflexus ſuper puluino,intonauit Hymnum,Veni Creator Spiritus,&c.proſequentibus Cantoribus,& alijs de Clero:quo finito, Sęcretarius D. Canonicus Dominicus de Aſcione dixit, Venerabiles,&c.vt in Pōtificali Romano.Mox acceſſit ad Eminentiſſimū idem Canonicus Secretarius, & accepit à præfato Eminentiſſimo Concilium Tridentinum,ac nonnullas ſcripturas,in quibus erant adnotati Officiales Synodi, decreta, Examinatores, Iudices, & alij,&c.& aſſociatus à Magiſtro Cæremoniarum,aſcendit Pulpitū paruulū,ibiq.ſedēs legit alta,&intelligibili voce modo,vt ſeqtur.

In nomine Sanctiſſimæ,& Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij & Spiritus ſancti.Nos Aſcanius miſeratione diuina tituli S.Ma-

in Ara Cæli S. R. E. Presbyter Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neapolitanus, ad Dei Omnipotentis, ac Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, Sanctorum Ianuarij, Agnelli, & aliorum Sanctorum Patronorum laudem. Noſtram ſeptimam Synodum Diæceſanam incipimus. Deinde ſubiunxit.

Aſcanius miſeratione diuina tituli S. Mariæ in Ara Cæli S.R.E. Presbyter Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neapolitanus in hoc Synodo Præſidens.

Si alicui ex his, qui ad noſtram hanc Diæceſanam Synodum conuenerunt, contigerit ſuo loco non vocari, ſedere, vel incedere, nemini ius aliquod acquiri, vel præiudicium inferri decernimus.

Si quis aliqua in re ſentiens ſe oppreſſum, vel offenſum, aduerſus quempiam conquæri prætendit, vel accuſationem deferre, adeat Dominum Vicarium noſtrum Generalem, & Conſultores ordinarios noſtræ Curiæ, quos deputamus Iudices quærelarum. Reſeruantes nobis facultatem etiam dum præſens Synodus habebitur, prædictas cauſas ad nos aduocandi, vel alijs delegandi.

Si quis autem voluerit alicuius abſentiam excuſare, adeat eoſdem Iudices.

Et quoniam in huiuſmodi Synodi progreſſu aliquarum perſonarum auxilio indigemus, qui munera quædam ad id neceſſaria obire poſſint. Deputamus Promotorem huius Synodi Reuerendum D. Honuphrium Latronicum V.I.D. Canonicum noſtræ Eccleſię, Secretarium verò R.D. Dominicum Aſcionē V.I.D. ſimiliter Canonicum, & Notarium prædictæ Synodi Vincentium Ayeta Actorum Magiſtrum noſtræ Curię Archiepiſcopalis, & ſtatim fuit per eundem Dominum Secretariū rogata Synodus his verbis, v3.

Placent ne vobis Admod. RR. DD. Canonici, & Capitulum, Abbates, Rectores, Parochi, & tota Synodus huiuſmodi deputationes, & reſponderunt: Placent.

Deindè prędictus Dominus Secretarius legit Capitulum primum ſeſſ. 23. Concil. Trident. Cum præcepto diuino, &c. & Capitulum de emittenda profeſſione, &c. & poſtea ſubiunxit.

Accedāt igitur omnes, & ſinguli Eccleſiaſtica beneficia obtinētes, qui aliàs in Synodo nō emiſerunt profeſſionē fidei, & ex formula pręſcripta à felicis memoriæ Pio Papa Quarto dictā profeſſionē genuflexi emittant ante Eminentiſſimum Cardinalem Archiepiſcopum, & ſtatim pronunciauit formulam profeſſionis fidei, videlicet. Ego N. N. firma fide credo, &c. vſque ad finem, proſequētibus eum prædictis Beneficiatis genuflexis ante pręfatum Eminen-

nentiſſimum Dominum,&c.qua finita,acceſſerunt aliqui Domini Canonici, Hebdomadarij,Parochi, Sacerdotes,& Clerici Beneficiati ad iurandum ante prefatum Eminentiſſimum Dominum ſuper libro Euangeliorum,legendo ſequentia verba in quadam ſchedula ſcripta. Ego N. N.recipio,promitto, voueo,& iuro, ſic me Deus adiuuet,& hæc ſancta Dei Euangelia. Quo facto acceſſerunt ad me infraſcriptum Notarium,& ſinguli tradiderũt ſchedulam,vt ſupra,quam acu in filum induxi,&c.

Mox dictus Dominus Secretarius legit decreta in hunc modum videlicet.

Hęc ſunt Decreta ędita in hac Synodo.

In nomine Sanctiſſimę,& Indiuiduæ Trinitatis Patris,& Filij,& Spiritus ſancti. Nos Aſcanius tituli S.Marię in Ara Cœli S. R. E. Presbyter Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neapolitanus hęc in prædicta ſeptima noſtra Diœceſana Synodo ſtatuimus,& ſancimus.

Incipit legere decreta.

Primum Decretum.

PAſtoralis noſtri officij munus eſt erga oues Nobis à Deo commiſſas inuigilare, prauas conſuetudines, ſiuè abuſus abolere,erroneaſque conſcientias tollere: Hinc eſt, quod hac in noſtra Ciuitate, eiuſque Neapolitana Diœceſi non ſolum rudes, verùm etiam periti,& inſtructi in Eccleſiaſticis præceptis forſan ab hoſte humani generis perturbati,& præpediti annuum præceptum in Paſchate Reſurrectionis adimplendo transferunt , aſſerentes duraturum abſque peccati labe,vſque ad primam Dominicam Pentecoſtes,quod iuri communi penitus aduerſatur.Mandamus propterea omnibus Rectoribus,& Parochis dictæ Ciuitatis, & Diœceſis ſub pœna excommunicationis, &c. quatenus in Dominicis Quadrageſimæ cuiuslibet anni inter Miſſarum ſolemnia, vel quando in Diuinis populus magis frequens adeſt,publicare,& inſinuare habeant,& debeãt in eorum Parochialibus Eccleſijs præceptum Eccleſiæ adimplendum, incipere à die Dominico Palmarum vſque ad Octauam Paſchatis Reſurrectionis incluſiuè perduraturum,& non aliter: quod ſi ſecus de cætero fecerint,vltra peccatum,in quod vti tranſgreſſores labuntur,in pœnam etiam interdicti incidiſſe declarabuntur.

Secundum Decretum.

AD aufugiendas pœnas ſancitas in Conſtitutionibus Apoſtolicis contra ſollicitantes ad turpia in confeſſione Sacra-

tali, auribus fideliter perſpeximus, nonnullos Confeſſarios parui-pendentes non ſolùm eorum Eccleſiaſticum munus, verùm etiam ſalutare hoc, & venerabile Sacramentum Pænitentiæ, qui ante, vel poſt auditam confeſſionem ſuarum filiarum pænitentium, ſoliti ſunt ad domos ipſarum accedere, illaſque mechari, ac peccata ipſa eędem pænitentes proprijs confeſſarijs mæchantibus confitentur, ac ſacramentalem abſolutionem ab eis accipiunt, abſque rubore commiſſi ſceleris, à quo non ſolùm continuum labendi habitum, verùm etiam maiora ſcandala oriri poſſunt: Volentes proinde deteſtabile hoc ſcelus ex noſtri Paſtoralis debito, quantum in nobis eſt, coercere, ſancimus hac præſenti noſtra Synodali Conſtitutione Confeſſarios ipſos tale ſcelus perpetrantes de cætero confeſſiones prædictarum pænitentium audire, & abſolutionem impendere minimè poſſe ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto, & ſuſpenſionis ipſo iure ab audiendis confeſſionibus, à quibus pænis nonniſi, a Nobis abſolui, & habilitari poſſunt.

Tertium Decretum.

PRimo alio noſtro Synodali decreto de anno 1644. celebrato ſancitum fuit excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ pęnam incurrere acclamantes, & tumultuantes in Eccleſijs, præſertim tempore expoſitionis Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, ac in eandem pęnam incurrere homicidia patrantes, & membra in eis mutilantes, quod decretum, omniaque in eo confirmantes, illud extendimus etiam ad verberãtes, ſeu quouis modo grauiter offendentes, & delicta ſupradicta committentes tàm intùs Eccleſias, quàm in eorum atrijs, alijſque locis immunibus, necnon etiam ad eos, qui omni reuerentia poſtpoſita tempore, quo Sanctiſſimum defertur per Ciuitates proceſſionaliter, tumultus, & acclamationes prædictas, ac rixas committunt per vicos, & plateas, per quas fiunt dictæ proceſſiones, illoſq. in eandem excommunicationem latæ ſententiæ nobis reſeruatæ incurrere decernimus.

Quartum decretum.

CVm experiẽtia probatum ſit, quamplures libros introduci in hac Ciuitate Neapolis, non ſolùm continentes errores cõtra bonos mores, ſed etiam multoties contra Fidem, & religionem, & prohibitos etiam in prima, vel ſecunda claſſe: Nos huic malo occurrere ſatagentes in alia noſtra Synodo de anno 1644. mandauimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ No-

bis

bis reſeruatæ,ne vllus cuiuſuis conditionis exiſtat, audeat conſignare libros introductos in Ciuitate,ſeu illos extrahere extra Ciuitatem,niſi prius reuideantur à noſtro Theologo,vel à Deputatis,& ſub eadem pęna excommunicationis non liceat Bibliopolis emere Bibliotecas,niſi prius cõſignatã,& reuiſa liſta librorũ à noſtrò Theologo,vel à Nobis,vel à noſtrò Vicario Gener.deputatis, ſeu deputandis, quod decretum confirmantes illud oſtendimus, adeò vt in eandem excommunicationis latæ ſententiæ pœnam Nobis reſeruatæ incurrant Bibliopolæ, omneſq. qui libros prędictos introducunt,& ſic introductos in eorum apotecis recipiunt, & exponunt,aut quoquo modo in eorum Bibliotecis,& domibus retineri,niſi prius fuerint viſi,& recogniti à noſtris Deputatis,ſiuè à quolibet ipſorum.

Quintum decretum.

QVia ad aures noſtras peruenit, quod vt plurimum matrimonia contrahuntur in Eccleſijs Parochialibus noctis tempore, imo etiam aliquando fiunt per Procuratores tempore, quo contrahentes ſunt pręſentes in Ciuitate,vel in Diœceſi noſtra Neapolitana, nulla id expoſcente legitima cauſa, vel neceſſitate,meritò ad hunc abuſum euitandum,& ad ſcandala, quę ex eo oriri poſſunt,tollenda, pręſenti noſtro Synodali decreto pręcipimus, & expreſsè mandamus,vt de cętero matrimonia contrahenda non poſſint fieri per Procuratores inter contrahentes intra fines huius Ciuitatis,& noſtrę Diœceſis commorantes, qui tanquam pręſentes perſonaliter accedere debeant ad propriam Parochialem Eccleſiam,imò ea fieri pręcipimus ante pulſatam 24.horam tantum,niſi aliter à Nobis legitima, vel neceſſaria cauſa exiſtente fuerit diſpenſatum, ſub pœna ipſo factò incurrenda à Parochis, & à quolibet ipſorum, qui poſt decurſam dictam 24. horam, vel per Procuratores,vt ſupra fecerint matrimonia prędicta,ducatorum centum pro qualibet vice,& in quolibet ex caſibus prędictis, ſuſpenſionis itidem ab adminiſtratione Sacramentorum ipſo facto incurrendę,& alia ad noſtrum arbitrium reſeruata. Volumus autem matrimonia prędicta fieri poſſe per Procuratores,quando contrahentes, vel aliquis ipſorum ſuum domicilium faciat extra Diœceſim prędictam.

Mandamus etiam ſub eadem pęna Parochis prędictis,ne ſimiliter baptizent infantes,tranſacta dicta hora 24.,niſi pręuia noſtra licentia,vel in caſu vrgentis neceſſitatis.

Sextum decretum.

ALijs noſtris Conſtitutionibus Synodalibus in anno 1648. & 1658. decreuimus pęnam carceris formalis circa Sacerdotes, qui nulla pręuia licentia noſtra, fidelium confeſſiones audire, & ſacramentaliter abſoluere non verentur, quę decreta denuò confirmantes contra eos, qui etiam ad finem prędictum licentias falſas audiendi confeſſiones fabricauerint, vel ab alijs falsò fabricatis vſi fuerint, quinque annorum ad triremes pęna mulctentur, & mulctari volumus.

De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio.

Septimum decretum.

PLuries à Sacra Rituum Congregatione decretum eſt, Feria quinta in Cęna Domini non licere plures Miſſas celebrare, ſed unam tantum: ſed quia latius, quàm par eſt, id aliqui interprętantes, in qualibet Eccleſia celebrari poſſe contendunt. Nos decreto pręfato inhærentes, mandamus in ipſis tantum Ecclesijs celebrari poſſe, in quibus ſepulchra fieri conſueuerunt pro ſignificatione myſterij: ſepulchra autem in ijs verò Ecclesijs fieri permittimus, in quibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur, & non aliàs ſub pæna interdicti Eccleſiæ, abſquę noſtra expreſſa licentia. Et quia accidit aliquando in prædicto die, feſtum Sanctiſſimæ Annunciationis de præcepto, pietati fidelium, & commoditati conſulentes, mandamus pro eo anno in omnibus Ecclesijs, in quibus Sanctiſſimum aſſeruatur, celebrari poſſe duas Miſſas, vnam de mane, alteram ſolemnem; in alijs verò Ecclęsijs vnam tantum.

Octauum decretum.

ALiàs in Synodo Diæceſana habita in anno 1646. fuit ſancitũ, inhærendo decretis Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, omnia, & quæcumque Monaſteria Monialium locum pro puellis educandis diſtinctum, & a cellis ipſarum Monialium profeſſarum, ſiuè Nouitiarum, vel cuiuſuis alterius mulieris, quamuis in habitu ſeculari de licentia eiuſdem Sacræ Congregationis intra ipſarum ſepta degentis, omninò ſegregatum, ne penitus puellę illę pernoctare ibi poſſent, nec deberent ſub pęna excommunicationis. Et quia non ſine animi noſtri perturbatione, auribus perſpeximus, ipſum decretum in aliquibus Monaſterijs minimè obſeruari, idcircò ad prędicta occurrenda, quantum in Nobis eſt, decretum ipſum, eiuſque continentiam affir-

man-

mando, mãdamus pęnam excommunicationis in ipſo expreſſam de cętero incurren. ipſo facto, prout ſententia lecta, & promulgata foret contra tranſgreſſores, & toties, quoties decretum ipſum fuerit tranſgreſſum, abſolutionem tamen huiuſmodi cenſurę Nobis reſeruamus, ac in eademmet cenſura cum ijſdem reſeruationibus intelligantur incurrere pariter Moniales, Nouitias, Educandas, Conuerſas, Seruas, ſiuè alias quaſcumque mulieres in Monaſterijs exiſtentes, quo ſupra nomine, quę infra trium dierum ſpatium Nobis, vel noſtris Miniſtris non denunciauerint perſonas, quę decretum prędictum tranſgreſſæ fuerunt.

Nonum decretum.

TAmetſi Sacra Epiſcoporum Congregatio circa Regulares pręcipuo mãdato decreuiſſet, vt Confeſſarij Monialium pręter eleemoſynas, quę à Communitate Monaſterij illis dantur ab ipſis Monialibus particulariter, ne minimum quidem dono acciperent, ſub pęna ſuſpenſionis à confeſſionibus ipſo iure incurrenda; nihilominus ob varias interpręcationes datas, in debita obſeruantia non permanet. Quamobrem in noſtra Synodo anni 1649. cum eorum, quę ad bonum vitę monaſticę regimen neceſſaria eſſent, compendium factum eſſet in cap. 15. pręceptum fuit ita confeſſariis ordinariis vt extraordinariis, ne aliquod munus, pręterquam à Prioriſſa, vel Abbatiſſa tantum accipere poſſent, ſub ijſdem pęnis, neque ſub prætextu Miſſas celebrandi, quarum eleemoſyna duos carolenos excedere minimè poſſet, cumque ad aures peruenerit, dictũm mandatum ſimiliter varijs doctrinis fuiſſe interpręcatum, & præcipuè illud intelligi habita ratione Miſſarum lectarum, non autem cantatarum, ac ſolemnium, pro quibus dicti Confeſſarij à Sacriſtis regalia non parua etiam in pecunia accipiunt. Hinc quamcumque interpręcationem, ac declarationem tanquam noſtræ menti contrarias reſecantes, & quantum in dicta Synodo fuit mandatum, & præcipuè quantum in dicto cap. 15. continetur confirmantes, præcipuè citra pręiudicium pœnarum incurſarum, in quibus diſpenſare non intendimus, vt in pœnam dictæ ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus tum Monialium, tum laicorum ipſo facto incurriſſe, & in futurum incurſuros dictos Confeſſarios, ſeu quemlibet ipſorum intelligatur aliquid accipiendo tàm ob celebrationem Miſſarum priuatarum, & cantatarum, ſeu Litaniarum, & quarumcumque Orationum recitationem, licèt ab alijs dicendas, ſeu recitandas curarent. Volentes vt pro dictis Miſſis quomodocumque ſint, nil

amplius, quàm duo caroleni pro eleemoſyna accipi poſſint, quouis caſu, quauis de cauſa, titulo, aut colore, neminem excludentes, qui à dictis Monialibus, ſeu Nouitijs, ſeruabus, vel educandis, quamuis rem licèt modicam acciperent etiam comeſtibilem, etiam per interpoſitam perſonam, & quæ laica eſſet, ad eorum contemplationem, & ſub quouis titulo, neminem excludendo, etiam à ſpontè dantibus, præterquam quale conſuetum eſt dari ſupradictis Confeſſarijs ab Abbatiſſis, vel Prioriſſis aliquo tempore, & occaſione ex proprij Monaſterij peculio, dummodo in futurum, quod ſolitum eſt, non excedat, & non aliter. Sicuti etiã ſuſpenſionem prædictam ipſo facto decernimus incurrere Confeſſarios prædictos tàm ordinarios, quàm extraordinarios per ſe ipſos procurantes, ſiuè per intermedias perſonas ſibi munera excipere à puellis introducendis, & iam introductis intra ſepta prędictorum Monaſteriorum educationis titulo, ſiuè ab eorum parentibus, conſanguineis, & affinibus, tempore quo egrediuntur è Monaſterijs ipſis, ad finem poſtea recipiendi habitum regularem.

Decimum decretum.

VT occurramus abſurdis abortis ob sũptuoſos apparatus, ac ornamenta, quæ paucis ab hinc annis ſunt introducta in Eccleſijs Monaſteriorum Monialium, mutuantes margaritas, vaſa argentea, & aurea, ad finem reddendi ſolemniores dies feſti, qui in ſuis Eccleſijs celebrantur, vt etiam in ſepulchris fieri ſolitos in Hebdomada maiori, in quibus præter prædicta, ſub diuerſis myſterijs ſtatuas apponere ſolitæ ſunt pretioſis veſtibus ornatas, ac etiam lapillis, ac gemmis, expreſsè prohibemus, ac præcipimus RR. Matribus, Abbatiſſis, Prioriſſis, Sacriſtis, cæteriſque Officialibus Monialium noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, ſub pœna priuationis ſui officij, vocis actiuæ, & paſſiuæ, ac ſub pœna interdicti ſuarum Eccleſiarum ipſo facto incurrendi, abſq; alia declaratione, vt in futurum in dictis ſolemnitatibus, ac feſtis, ſub quouis colore, titulo, & cauſa mutuari nequeant, nèc vti gemmis, vaſibus argenteis, ac aureis pro ſeruitio dictarum Eccleſiarum ſuarum, ſed ſolum vti debeant proprijs ſupellectilibus Monaſteriorum, non autem aliarum perſonarum: neque tamen in prædictis feſtiuitatibus celebrandis permittant ſub eiſdem pœnis exonerare facere tormenta manualia ignem euomentia, quæ vulgariter nuncupantur mortaletti, maſchi, ò fuochi arteficiati.

Vn-

Vndecimum decretum.

CVm à Nobis ſæpiùs diuerſis temporibus pręceptum ſit pluribus Edictis, ac poſtremò ſub die 10. menſis Decembris 1658 ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrēdæ Nobis reſeruatæ RR. Matribus Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus profeſſis, Nouitijs, Educandis, Conuerſis, vel Secularibus cuiuſuis ſtatus, gradus, ac conditionis in Monaſterijs morantibus ſubiectis noſtræ iuriſdictioni, ne auderent, nec vnaquæque ipſarũ audeat per Rotas, aut per alias partes introducere infantes maſculos, ſiuè fœminas in dicta ſua Monaſteria ſub quouis prætextu, ætate, cauſa, aut ficto colore. Hinc eſt, quod præſenti noſtro decreto Synodali denuò præcipimus, ac iubemus ſub eadem pæna, vt in futurum inuiolabiliter obſeruetur quantum ſupra præceptum eſt, necnon declarandæ ſint incurriſſe in cenſuras de violata clauſura.

Duodecimum decretum.

CRatium abuſus, ac loci communicatorij in Monialiũ Eccleſijs exiſtentis Nobis ſubiectis, Nos impulit ad prohibitionẽ earum rerum, quæ à Nobis aliàs factæ ſunt, ne aliqua perſona commorans in clauſuris dictorum Monaſteriorum loqui poſſint à ſupradictis cratibus, ac communicatorio cum aliquo, exceptis tamen Sacriſtanis pro tempore, & ſolùm cum illis, ac Clericis ſuarum Eccleſiarum, ac cum ſpectantibus ad officium Sacriſtarũ; cùm perpenſum ſit, ſatis indecorum eſſe loqui in locis prædictis, ac vertere humeros maiori altari, vbi Sanctiſſimum aſſeruatur, & quia aſſiduò non deſiſtunt ab inobſeruantia dictorum ordinum datorum, ac prohibitionum factarum cum continuatione dicti antiqui abuſus præcipimus, ac iubemus rurſus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, cuius abſolutionem Nobis reſeruamus, ne aliqua Monialis Profeſſa, Nouitia, Educanda, Conuerſa, & Secularis, ac vnaquæque illarum præcipuè poſſit, nec poſſint loqui cum aliqua perſona cuiuſuis ſtatus, gradus, & conditionis ex cratibus, ac communicatorio, ſupradictis tamen exceptis Sacriſtis pro tempore exiſtentibus, quibus tantum liceat cum Sacriſtis, & Clericis ſuarum Eccleſiarum pro occaſione officij, ne materiarum ad ipſum officium ſpectantium cum debita reuerentia Sanctiſſimo, ſub eadem cenſura prohibemus, ne aliqua perſona cuiuſuis ſtatus, gradus, & conditionis loqui poſſit ex ſupradictis cratibus, ac communicatorio, tametſi in primo, ſecundo, vel tertio conſanguinitatis gradu coniuncta ſit cum vnaquaque Mo-

niali, Educanda, Conuerſa,aut Seculari ſiſtentibus in clauſuris dictorum Monaſteriorum,non obſtante, quod eſſet monacatus, aut profeſsionis tempore.

Decimumtertium decretum.

CVm experientia docuerit in quibuſdã Monaſterijs,vbi adſunt puellæ educandæ, quæ cum ad nubilem ætatem peruenerint,ſoleat ſatis ſplendidis veſtibus ornari, vt venuſtiores futuris ſponſis videantur, nullam loci rationem habentes vbi morantur; qui ſolùm diuino cultui dicatus eſt,non ſolùm ſcandalum pariẽtes Monialibus iam dicatis ſponſis Chriſti Domini noſtri, verùm etiam laicis,qui negotiorum cauſa ibi verſari ſolent.Quapropter moti à zelo maioris Dei ſeruiti j, ad quem omnes noſtros actus dirigimus, & ad tollendum omninò talem abuſum præcipimus, ac iubemus, vt in futurum Educandæ in dictis Monaſterijs morantes nullo modo veſtibus lautis ornentur, verùm modeſtè, & eodem modo veſtiantur,quo cæteræ Educandæ,ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ Nobis reſeruatæ.Itidem ſub eadem pæna præcipimus, ac iubemus RR. Abbatiſſis,Prioriſſis, Magiſtris Educandarum, alijſque Monialibus permiſſuris,caſu quo matrimonium ſuccederet cum qualibet educanda,vt loquatur cum futuro ſponſo ſola, nec comitata:cæterũ ab huiuſmodi colloquijs abſtineat vſque dum nuptura exibit, & vt omnibus inconueniẽtibus occurramus,quæ in huiuſmodi materia euenire poſſent, acceſſum ſponſorum huiuſmodi ad dicta Monaſteria prohibemus ſub eadem pæna excommunicationis latæ ſententiæ.

Decimumquartum decretum.

NOn ſine magna animi noſtri moleſtia p̃ſentimus in hiſce Monaſterijs noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, aliquo ab hinc tempore introductum eſſe aſſiduum abuſum ab Officialibus, Monialibus, vtpotè ſunt Sacriſtæ,Infirmariæ,Cellerariæ,Sindicæ, Veſtiariæ,Panetteriæ,ac aliæ Officiales,quæ regularis diſciplinæ oblitæ, & obſeruantiæ ſuarum regularum, proprijs ſumptibus plures dapes,ac munera vulgariter dicta Piatanze,apponunt tum ipſis Monialibus, tum externis infra annum,multi, & nimij ſumptus, ſuis viribus non reſpondentibus, quod totum cauſatur à dignitatis ſtimulo,ac à mordaci æmulatione,quæ inter eas eſſe ſolet. Vndè vt occurramus huic abuſui, quemadmodum debemus, præcipimus,ac iubemus ſupradictis Matribus Abbatiſſis,Prioriſſis, Rotarijs Monialibus, Officialibus ſupradictis præſentibus, & futuris,

ac

ac vnicuique illarum reſpectiuè, ſub pæna excommunicationis latæ ſententię Nobis tantum reſeruatę, ac ſub pæna priuationis officij, ac vocis actiuę, ac paſſiuę, ne deinceps ſub quouis prętextu, cauſa, vel ficto colore infra annum huiuſmodi dapes, ac munera vulgariter dicta Piatanze, parare debeant proprijs ſumptibus Monialibus, alijſque perſonis extraneis tanquam res contraria voto paupertatis, quam profeſſę ſunt, vſque dum verę ſint obſeruantes, vt debent ſuarum regularum, ac ſpectabiles obſeruantiæ, conſtitutionis, ac reformationis factę à felic. memorię PP. Clementis VIII. circiter vitam communem.

Decimumquintum decretum.

LIcèt aſſiduò voce ſignificauerimus noſtram mentem Confeſſarijs nobis deſtinatis ad audiendas confeſſiones Monialium noſtrorum monaſteriorum, quibus pariter conceditur facultas ingrediendi in clauſuris in vrgenti neceſſitate cauſa miniſtrandi Sacramenta Pęnitentiæ, Euchariſtię, & Extremę Vnctionis, vt ingredi deberent ea modeſtia, ac cultu, qui huiuſmodi myſterijs debetur, ac loco, ſed vt comitati à duabus Monialibus ex ſenioribus Monaſterij irent recta, ac via breuiori ad cellam infirmæ, non aliò vagantes. Cumque in prędictis inobſeruantiam agnouerimus, pręcipimus, ac iubemus ſupradictis Confeſſariis, pręſentibus, ac futuris ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus ipſo facto incurrendę noſtro arbitrio, vt in caſibus ſupradictis neceſſitatis, in quibus ipſis conceditur ingreſſus in clauſuras, pręter modeſtiam, ac cultum, qui in talibus myſteriis requiritur, in quorum exercitio à duabus Monialibus comitentur ex ſenioribus Monaſteriorum, recta ire debeant, ac breuiori via ad cellam infirmę, nec per aliam partem clauſurę vagari. Et vt pręſens noſtrum decretum inuiolabiliter ſeruetur, præcipimus, & mandamus noſtro Actorum Magiſtro Monialium, quod in expediendis in futurum literis patentibus iiſdem Confeſſariis Monialium, exprimat in corpore ipſarum tenorem pręſentis decreti.

Aſcanius Card. Philamarinus Archiepiſcop. Neap.

ET ſtatim rogauit Synodum dicens; Placent ne vobis Adm. RR.DD.Canonici,& Capitulum,Abbates,Rectores,Parochi, & tota Synodus dicta decreta.Et reſponderunt:Placent.

Deindè lectum fuit Capitulum S.C.T.de examinatorib.ſeſſ.24. cap.18. & poſtea publicauit Examinatores Synodales modo, vt ſequitur,videlicet.

Aſcanius miſeratione diuina tituli S.Mariæ in AraCœli S.R.E. Presbyter Cardinalis Philamarinus Archiepiſcopus Neapolitanus in hac Synodo Præſidens.

Proponimus vobis infraſcriptos Examinatores Synodales pro ijs,qui ad Beneficia curata ſunt promouendi,vz.

R.D. Io.Franciſcum Ingenuum V.I.D. Secretarium examinis.
R.D.Ioſephum Sageſium S.T.D.
R.D.Octauium Piſam S.T.D.
R.D.Andream Medicam S.T.D.
R.D.Matthæum Renza S.T.D.
R.D.Thobiam Campanile S.T.D.
R.D.Matthiam Guarracino S.T.D.
R.D.Aloyſium de Vrſo S.T.Profeſſ.

Canonicos noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ.

R.D.Seuerum Garofano Parochum eiuſdem Cathed.Eccl.
Patrem D. Petrum Giſolfo Congreg.Piorum Oper.
Patrem Vincentium Auenatum Congreg.Orat.
R.D.Franciſcum Staibanum S.T.D.

Et ſtatim rogauit Synodum ſequentibus verbis vz. Placent ne vobis Adm.RR.DD.Canonici,& Capitulum, Abbates,Rectores, Parochi, & tota Synodus ſatisfaciunt huiuſmodi Examinatores, & probantur à vobis. Et reſponderunt: Placent, ſatisfaciunt, & probantur.

Deindè perDom.Primicerium fuit allata Reliquia S.Io.Baptiſtæ cum luminibus,& poſita ante Eminentiſſimum Dominum,ibi acceſſerunt prædicti Examinatores ſynodales tantum:& genuflexi ante dictam Reliquiam,& præfatum Eminētiſſimum bini præſtiterunt iuramentum,quod ſcriptum erat in quadam ſchedula tenoris ſequentis vz. Ego N,N. Examinatoris officium,quod ſuſcepi,promitto,ſpondeo,& iuro me fideliter, & ſincerè quantū in me eſt exequuturū,ſic me Deus adiuuet,& hæ Sāctorū Reliquiæ.

Deindè prædictus Dominus Secretarius ſubiunxit:

Aſcanius miſeratione diuina tituli S,Mariæ in Ara Cæli S,R,E. Presb. Card.Philamarinus Archiep.Neap.in hac ſynodo Præſid.

De-

Deſignamus vobis ſequentes Iudices Synodales habẽtes qualitates à Iure requiſitas,quibus cauſæ à Sede Apoſtolica committi,& à Regularibus in Conſeruatores eligi poſſint,vʒ.
R.D.Franciſcum de Magiſtris V.I.D.
R.D.Io.Franciſcum Ingenuum V.I.D.
R.D Honuphrium Latronico V.I.D.
R.D.Dominicum Aſcione V.I.D.
R.D.Carolum de Philippo V.I.D.
R.D.Antoniũ Tango V.I.D.NoſtræCathedr.Eccleſiæ Canonicos.

Et ſtatim rogauit Synodũ his verbis,vʒ.Placẽt ne vobis Adm. RR.Canonici,& Capitulum, Abbates, Rectores,Parochi, & tota Synodus huiuſmodi deſignatio.Et reſponderunt:Placent.

Et ſtatim ſubiunxit.Aſcanius miſeratione diuina tituli S.Mariæ in Ara Cęli S.R. E. Presbyter Cardinalis Philamarinus Archiep. Neap.& in hac Synodo Pręſidens.

Quoniam ſacri Canones mandant, vt in Synodis aliqui viri ſpectatæ vitæ deligantur, qui teſtes ſynodales appellari ſolent,& ipſorum munus eſt an aliquid in Ciuitate, & Dieceſi corrigendũ ſit inueſtigare,& cognitum ad nos,noſtrumq. Generalem Vicariũ referre,vt oportunè prouideri poſſit. Propterea huic officio proponimus eos,quos in hac ſchedula annotauimus,quorum nomina vt maiori diligentia, & libertate huic muneri vacare poſſint, minimè diuulganda eſſe cenſuimus.

Mox Adm.R.D.Canonicus Honuphrius LatronicusPromotor pręſentis Synodi acceſſit ad præfatum Eminentiſſimum Dominum,& inſtetit pro vocatione Cleri,dicens.

Eminentiſſime,ac Reuerendiſſime Pater,& Domine:Sancitum eſt in Concilijs generalibus, & præcipuè in Concil. Trid. vt omnes Eccleſiaſtici,qui de iure,vel conſuetudine Synodo Dieceſanę, quæ quotannis celebrabitur, etiam ſi exempti ſint, intereſſe debeant,etſi negligentes fuerint,pænas à ſacris Canonibus præſcriptas incurrant:, cumque multi non adſint, nec iuſti impedimenti excuſationem,aut nuntium miſerint: Propterea ego Honuphrius Latronicus Canonicus huius Synodi Promotor inſto eos vocari, & abſentes notari, ac contra ipſos procedi ad pęnas iuxta formã dictorum Canonum.Et pręfatus Eminentiſſimus Dominus dixit, Ita fieri decernimus, & mandamus.

Et ſtatim prędictus Dominus Secretarius è pulpito prędicto alta,& intelligibili voce dixit:Mox vocabuntur qui huic Synodo intereſſe debent nominati,capite aperto ſtantes, reſpondeant;ad-

ſum,

ſum,& ante Eminentiſs.Dom.Card.Archiepiſc.accedant,& reuerentiam exhibeant,& recedant in partem; non tamen ab Eccleſia diſcedant quovſque Synodus abſoluta fuerit.

Tunc infraſcriptus Notarius Synodi ex liſta, quam habebat in manibus infra deſcribendam,vocari fecit per Curſorē CuriæVincentium Pallamolla omnes Abbates,Rectores, Parochos, Sacriſtas,Presbyteros,Diaconos,Subdiaconos, Clericos,ac Beneficiatos Eccleſiarum,& Cappellarum huius Ciuitatis, & Diœceſis, & pręſentes reſponderunt,Adſum,reuerentiam pręſtiterunt Eminētiſs. Dom. Cardinali Archiepiſc.& receſſerunt verſus Altare maius,& iterum reuerſi ſunt ad locum ſuum,&c.Abſentes notaui,& per Reu.Fiſcum fuerunt accuſatæ contra eos contumaciæ,&c.

Finita verò vocatione Cleri, acceſſit prędictus Dom. Promotor Fiſcalis ad Eminentiſs.Dom. & dixit: Eminentisſime,& Reuerendiſs.Pater,& Domine: cùm videam omnia , quę ad Synodi celebrationem ex præſcripto ſacrorū Canonū, & præcipuè S.C.T. requirūtur,in præſentiSynodo eſſe confecta;ideo egoHonuphrius Latronicus Canonic.huius Synodi Promotor inſto, ſi Eminentiæ Tuę ita placuerit,vt eadem Synodus terminetur,& Clerus omnis ad ſuas Eccleſias dimittatur.Et præfatus Eminentiſs. dixit: Finis in præſenti Synodo imponatur . Et ſtatim prędictus Dom. Secretarius ex pulpito,vt ſupra dixit

Ad laudem Omnipotentis Dei,Beatiſs.ſemper Virginis Marię, SS.Ianuarij , aliorum Patronorum noſtrorum honorem, decernimus Synodum completam,& propterea cuiq.eundū eſſe ad proprias Eccleſias. Curate igitur cùm redieritis , vt populus omnis vos ab hac Synodo non mediocrem fructū reportaſſe intelligat.

Mox prędictus Dom.Promotor erigens ſe dixit alta voce:Ego Honuphrius Latronicus Can. Neap huius Synodi Promotor inſto,& rogo Not.& Act.præſentis Synodi,vt de ſingulis in hac Synodo geſtis,& peractis vnum,vel plura conficiat inſtrumentū,vel inſtrumenta,& infraſcriptus Not. reſpondit,cōficiā libenter, &c.

Tunc pręfatus Eminentiſs.Dom.genuflexus ſuper puluino in prædicto Throno intonuit,TeDeum laudamus,&c.Cantoribus,& alijs deClero proſequentibus:quo finito,pręfatus Eminentiſs.dixit,Ordinē nulla eſt,&c.vt in Pontificali, deindè benedixit Synodo more ſolito,dicens:Sit nomenDomini,&c.Mox per Dom.Primicēriū fuerunt publicatæ Indulgentiæ centum dierum conceſſæ à præfato Eminentiſs.Dom.&c.Demū fuit dimiſſaSynodus dicēte D.Can.Ioſeph deAuxilio tūc primoDiac.Recedite in pace,&c.

Aſcanius Ca.d.Philamarius Archiepiſcop.Neap.